

LIEBEN
24



0.6.1874


Fruckius et Helvius

nicht verfilmbar
nicht PK




ms





C. 118

C. 184



1710



Kaspar Finkel



[Grammatica Latina.]

[Gessae Hess. 1615: Hampel.]



2

Compendium GRAMMATICÆ LATINÆ,

A B

*IPSIS GRAMMATICÆ AVTORI-
bus adornatum, & singulari studio in usum
Scholasticæ Iuventutis, ita di-
gestum,*

UT

NEC LIBRIS ALPHABETICIS,
NEC DONATI PARADIGMATIBUS,
ampliùs opus sit pueris, qui
eo utuntur.

Editio nova, emaculata.



GIESSÆ HASSORUM,
Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.

M DC XIII.

FR

II

FR
La
m

F

oper
tan
mat
pera





ILLUSTRISSIMIS, CEL-
SISSIMIS 2. PRINCIPIBVS
AC DOMINIS,

Domino GEORGIO,

Domino JOHANNI,

Domino HENRICO,

FRATRIBUS GERMANIS, HASSIÆ
Lantgraviis, Comitibus in Catti-
meliboco, Decia, Zigenhaina
& Nidda, &c. Dominis suis
clementissimis.



*Rectissime Quintilianus,
Principes Illustrissimi atque
Celsissimi, Domini Clementis-
simi, de Grammaticis stu-
diis pronunciat, ea ex omni
studiorum genere plus habere
operis, quàm ostentationis. Neq; enim illud
tantùm in iis deprehenditur, qui Gram-
maticis fundamentis discendis dant o-
peram, sed & eorum respectu verissimum*
[:] 2 est.

EPISTOLA

est, qui præcepta Grammatica ad juven-
tutis institutionem concinnant, ac in le-
gitimam methodum redigunt: ut jam nõ
dicam de exquisita diligentia, quæ in ad-
ornatione distinctorum typorum & in at-
temperandis ad captum puerorum para-
digmatibus, requiritur. Nihil etiam dicã
de circumspectione, qua certè incredibili
opus est in typographica exscriptione,
ut vel Lynceum aut Argum esse oport-
teat, qui officio satisfacere suo hac in re
velit, sicut fatebuntur haud inviti, qui ha-
rum rerum usum habent. Cumq; ejusmo-
di diligentia necessaria omninò sit ad re-
ctam juvèrntis informationem, suscepe-
runt in sese ante aliquot annos nonnulli
Professores hujus Academiæ id laboris,
ut *Grammaticam Latinam* pro Pædagogio
Giessensi, aliisq; superioris Hassiæ scho-
lis, nova cura adornarent, meisq; typis
descriptam in lucem ederent. Ea Gram-
matica ab omnibus bonis approbata, &
in aliquam multas scholas aliarum regio-
num, magno cum applausu ac fructu, in-
troducãta fuit. Sedulò enim operam de-
derunt autores, ut omnes præceptiones
ad ca-

DEDICATORIA.

ad captum & usum puerorum accom-
modarent, secuti consilium *Cornelii Vale-*
rii, judicantis, *in institutionibus Grammaticis*
prestare interdum de iustâ artis viâ, quam Dia-
lectica methodus præscribat, paululum deflecte-
re, quàm commodum iuventutis, quod longè po-
tius esse debet, negligere.

Porro ne fottè quispiam imperitior de
prolixitate (quæ tamen *Platone teste*, non
est, si de rebus utilibus & necessariis co-
piosè differatur) conqueri posset, adjece-
runt iidem autores hoc tanquam *ἑπίμνησον*,
& excerpserunt *Compendium* ex universâ
Grammatica pro incipientibus: Quod
ita comparatum est, ut non tantùm inser-
vire lectionibus præscribendis, possit, sed
etiam ipsis A B C dariis seu elementariis
proponi debeat, ut eâdem operâ & literas
inde agnoscere, syllabas colligere, legere
ac scribere discant, & ipsis præceptis Pa-
radigmatibusq; hac ratione assuefiant, ut
nulla posthæc opus iis sit molestia in me-
moriter ediscendo quippe cùm crebra
repetitio sponte memoriam & gignat &
cōservet. In primis autem in Paradigma-
tum exscriptione singulare memoriæ cō-
pendium

[:]

3

pendium

EPISTOLA

pendium observari voluerunt, veluti ipsa inspectio sufficienter ostendet.

Hoc autem Compendium ab autoribus meo prælo traditum, & quantâ fieri potuit diligentia, à me exscriptû, V. V. Vis C. C. C^{us}. *Principes Celsissimi & Illustrissimi*, humiliter offero, eam ob causam, tum ut restarer hoc modo humilimam meam erga *Illustrissimi V. V. V. C. C. C^{um} Domini Parentis*, clementissimè mihi præstita beneficia, gratitudinem, dum in Academiae suæ Typographum me confirmavit, tum ut Grammatico hoc opusculo ostenderem, me paratum esse ad juventutis emolumentum nihil non laboris suscipere, operasq; Typographicas ad verum finem, quem meritò spectare omnes debent, convertere: id quòd pro virili hæten⁹ præstare conatus fui. Quamvis autem V. V. V. C. C. C^{es} hoc Elemētario libro nō indigeant, ut quæ non destituuntur optimâ institutione tum *Strenui ac Nobilissimi viri, Dn. Bernhardi Friderici Precher* | *Præfecti aulicæ spectatissimi*, tum *Excellentissimi viri, Dn. Wilhelmi de Brinck, Præceptoris aulicæ fidelissimi*, Tamen non gravatè ferent V. V. V. C. C. C.


D E D I C A T O R I A .

C. C. C^{es}, lucem à se affulgere huic Compendio, ut tantò majore cum applausu & fructu etiam in cæteris Darinſtatinæ ditionis ſcholis pueritiæ proponatur, ſicut hætenus & Grammatica ipſa paſſim cõprobata & acceptata fuit. Valete *Celiſſimè Principes*, ſpes patriæ & flos domus Haſſiæ: Deus Opt. Max. V. V. V. C. C. C. cum tota paterna Illuſtriſſima familia, ſoſpites & incolumes perpetuò conſervet, omni benedictione affluenter beet, in patriæ ſalutem & Reip. tam literariæ quàm civilis commodum, Amen. Dabam GIESSÆ, X I V. Jan. Anno M D C X I I I.


V. V. V. C. C. C.

humilimè colens

Nicolaus Hampelius, Typogr.
Academicus.



GRA.



GRATIARUM ACTIO, ET PRÆ-
catio Quotidiana minoris Pædagogii, pro
felici rerum & studiorum luc-
cessu.

Veni sancte Spiritus.

Emitte Spiritum tuum.

OMnipotens, aterne, vive & vere Deus, aterne & unice
pater Domini nostri Iesu Christi, unà cum filio tuo coater-
no Domino nostro Iesu Christo; & Spiritu sancto, author
omnis boni, & vera sapientia, ac salutaris doctrina, qui præcipis
docendi ac discendi labores, & testaris eos tibi placere. Agimus to-
to pectore tibi gratias, quòd benignè tribuis nobis hujus & aterna
vita bona, ac clementer servas inter nos docentium & discantium
coetus, utilisq; doctrina studia. Oramus te veris animi gemitibus,
miserere nostri, ac rege nos Spiritu tuo sancto, ut tua beneficia, qua
sunt multa & magna, grati agnoscamus ac piè celebremus, do-
ctrinamq; pietatis & optimarum artium diligenter discamus. O
aterne Deus, serva & iuva magistratum nostrum, Principes Has-
siae, provehe, ac felici successu orna nostra studia, ut crescat in nobis
omnium bonarum rerum cognitio, qua aliquando serviat tua
gloria, ac prosit nobis & aliis hominibus, in Ecclesia & Republi-
ca. Deniq; fac ut in tota vita nostra simus vasa misericordiae, non
ira, tibiq; grata, nobis & aliis salutaria, dicamus & faciamus,
per & propter filium tuum coaeternum. Dominum & salvatorem
nostrum Iesum Christum, qui dixit: Quicquid petieritis patrem
in nomine meo, dabit vobis. Item: Quanto magis pater vester cae-
lestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Amen.


Oratio dominica.

Decem præcepta.

Symbolum Apostolorum.

Credimus Domine, opem fer incre-
dulitati nostræ.

SOLI DEO GLORIA.





LIBER PRIMUS
GRAMMATICES,
DE ETYMOLOGIA.

CAPUT I.
DE ORTHOGRAPHIA.



GRAMMATICA est ars bene loquendi.

Partes Grammaticæ duæ sunt : Etymologia & Syntaxis.

Etymologia est prior Grammaticæ pars, quæ singularum vocum naturam interpretatur.

Etymologia spectatur vel in principiis dictionum, (seu vocum) vel in vocibus integris.

Circa principia vocum versatur Orthographia & Ptosodia.

ORTHOGRAPHIA est, quæ discrimina literarum, earundemque scripturam docet, ut Fallo per F, quando idem quod decipio significat, & Vallo per V, quando idem quod circundo & munio.

Litera est minima pars vocis, ejusvé primum elementum.

A Literæ



Literæ tres & viginti vulgò numerantur.

A	A	A	a	a
B	B	B	b	b
C	C	C	c	c
D	D	D	d	d
E	E	E	e	e
F	F	F	f	f
G	G	G	g	g
H	H	H	h	h
I	I	I	i	i
K	K	K	k	k
L	L	L	l	l
M	M	M	m	m
N	N	N	n	n
O	O	O	o	o
P	P	P	p	p
Q	Q	Q	q	q
R	R	R	r	r
S	S	S	s	s
T	T	T	t	t
V	V	V	v	v
X	X	X	x	x
Y	Y	Y	y	y
Z	Z	Z	z	z

Sequuntur

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
P
Q
R
S
T
V
X
Z

Dividuntur literæ in vocales & consonantes.

Vocales sunt literæ, quæ per se sonant, & vocem edunt, ut A, E, I, O, U, & Y *Græca*.

Consonantes sunt, quæ vocalibus consonant, nec per se solæ syllabam faciunt, ut sunt reliquæ literæ præter vocales, omnes: B, C, D, F, G, H, K, L, M, N, P, Q, R, S, T, X, & Z *Græca*.

Dividuntur bifariam, in Semivocales & Mutas.

Semivocales sunt, quæ ad vocales propiùs accedunt, ita ut absq; earum adminiculo pronunciari possint, ut sunt P, H, L, M, N, R, S, X, & Z.

Ex his quatuor, L, M, N, R, Liquidæ appellantur, eò quòd vocales quibus junguntur, interdum liquefcere faciant, & syllabam communem reddant, ut in *Tenebra, agri*, & similibus. X autem & Z Duplices vocantur, eò quòd duarum consonantium vim habeant.

Mutæ sunt, quæ vocalium adminiculo opus habent ut possint pronunciari. Suntque B, C, D, G, K, P, Q, T.

Literæ I & U transeunt in consonantes, quando in eadem syllaba præponuntur vocali, & tùm discriminis causa prior *Iota* appellatur, & sic notatur J, j. Posterior *Vau* dicitur, & sic pingitur, V. v.

CAPUT II.

DE PROSODIA.

PROSODIA est, quæ docet rationem syllabarum.

Syllaba est comprehensio literarum, quæ uno eodemque spiritu ac tono efferuntur, ut, *pes, crus, fons, stirps*. Vel: Est elementum vocis sub accentu.

Syllaba ex meris vocalibus constans appellatur Diphthongus, quæ est geminus sonus unius Syllabæ:

Æ, ut *Cæsar*,

OE, ut *Cæna*,

AU, ut *Auster*,

EU, ut *Eurus*.

CAPUT III.

DE COMMUNISSIMIS VOCVM
affectionibus.

I. Hactenus de principiis vocum; sequuntur Voces integræ, quarum octo species, (*vulgò Partes orationis dictæ,*) enumerantur, nempe: *Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Prepositio, Conjunctio, & Interjectio.*

Partium orationis communissima Accidentia sunt, Species & Figura.

Species est, quâ disquiritur, an vox sit primitiva, an derivativa.

A 3

Pri-

Primitiva illa dicitur, quæ à nullâ aliâ descendit, ut, *equus, aper.*

Derivativa est, quæ aliundè originem trahit, ut, *equuleus, aprugnus.*

FIGURA est, qua disquiritur, sitnè vox simplex, an composita.

Simplex est, quæ in partes significantes ejusdem originis dividi nequit, ut *maturus, disco, lego.*

Composita, quæ in partes significantes dividi potest, ut *præmaturus, edisco, perlego.*

Partes orationis sunt *vel variables*, ut, Nomen, Pronomen, Verbum & Participium: *Vel invariables*, ut, Adverbium, Præpositio, Conjunctio & Interjectio.

Variabilium communia accidentia sunt, Numerus & Persona.

NUMERUS est in voce unius à multis discretio.

Estq; vel Singularis, vel Pluralis.

Singularis, quo unum quid significatur.

Pluralis, quo plura significantur.

PERSONA est rei significatæ sub ordine demonstratio.

Personæ sunt tres: Prima, Secunda, Tertia.

Prima est, quæ vocem effert: (*eiq; præponi potest Pronomen, Ego & Nos.*)

Secunda, ad quam vox dirigitur, (*eiq; præponi potest Pronomen Tu & Vos.*)

Tertia,

Tertia, de qua vox effertur, (eig³ præponi potest Pronomen Ille & Illi.)

CAPUT IV.

DE NOMINE, ET EIVS QUALITATE,
ubi & de Motione ac Comparatione.

Nomen est pars orationis variabilis, quæ rem significat, non actionem. Vel. Est vox variabilis per casum, quæ rem primò significat sine tempore.

Nomini accidunt octo: *Qualitas, Numerus, Persona, Casus, Declinatio, Genus, Species & Figura.*

Ex Qualitate nomen est vel Substantivum, vel Adjectivum.

Substantivum est, cujus significatio per se absque altero addito intelligitur, utpote cui in nostra vernacula lingua addi non potest *Mann/Weib/Ding*: ut *homo, equus, bos.*

Substantivum est Proprium vel Appellativum.

Proprium est, quod uni soli rei convenit, hoc est, quod in eadem specie uni tantum attribuitur, ut *Iulius, Bucephalus, Roma, Rhenus, &c.*

Appellativum est, quod multis est commune, hoc est, quo communiter omnes ejusdem speciei res appellantur; ut: *homo, equus, urbs, flumen.*

Adjectivum est, cujus significatio absq; altero aliquo intelligi non potest, utpote cui in vernacula nostrâ addi potest *Mann / Weib / Ding: ut albus, niger.*

DE COMPARATIONE.

Accidit quibusdam Adjectivis Comparatio,

Comparatio est variatio nominis Adjectivi per gradus.

Gradus comparationis tres sunt: *Positivus, Comparativus, & Superlativus.*

Positivus est prima vox adjectivi, rem absolute & simpliciter significans.

Hujus terminationes sunt *Er, Ur, Es, Is, Us, Ns, Rs, X: ut niger, satur, locuples, dulcis, doctus, sapiens, iners, felix.*

Comparativus est, qui supra positivi significationem magis significat.

Hujus terminationes sunt: Masculina & Fœminina *Or: neutra Us: ut hic & hæc doctior, & hoc doctius.*

Formatur comparativus regulariter à positivi casu in *I*, desinente adjecta syllaba *Or*, hoc est, si positivus fuerit secundæ declinationis à Genitivo; si tertiæ, à Dativo; ut: *Amicus, ci, amicior: pudicus, ci, pudicior: spurcus, ci, spurcior: sollicitus, ti, sollicitior: Sic & fortis, tis, ti, fortior: saluber, bris, bri, brior: felix, cis, ci, cior: prudens, tis, ti, tior.*

Super-

Superlativus est, quo unum aliquid multis aut etiam omnibus sui generis præfertur: hoc est, qui supra positivi significationem valdè si- ve maximè significat.

Terminationes ejus regulares sunt *Rimus* & *Simus*, ut *tenerrimus*, *doctissimus*.

Quæ R finiunt, superlativum faciunt adje- ctâ *Rimus*: ut *Niger*, *nigerrimus*: *pulcher*, *pulcherri- mus*.

Quæ autem aliter, quàm R finiunt, superla- tivum faciunt adjecta S & *simus*, ad positivi ca- sum in I desinentem: ut, *doctus*, *i*, *doctissimus*: *can- didus*, *di*, *dissimus*: *felix*, *cis*, *ci*, *cissimus*: *prudens*, *ntis*, *nti*, *ntissimus*.


Excipiuntur ab hac regula, quorum super- vativi in *limus* desinent juxta versiculum:

Dant tibi quinq; *Limus*, quæ signat dictio *Fagus*: ut

<i>Facilis</i>	<i>facilimus</i> ,
<i>Agilis</i>	<i>agilimus</i> ,
<i>Gracilis</i>	<i>gracilimus</i> ,
<i>Humilis</i>	<i>humilimus</i> ,
<i>Similis</i>	<i>similimus</i> .

Sic & composita, ut *Difficilis*, *difficilimus*, *Dissimilis*, *dissimilimus*.

Anomala, ut: *Bonus*, *melior*, *opti- mus*, &c. Vide in *Paradigmatibus*, in fi- ne *Compendii*.



A S CAPUT

CAPUT V.
DE NUMERO, PERSONA
& Casibus.

Numeri nominum sunt, Singularis, ut *hic Cæsar*, Pluralis, ut *hi Cæsares*.

Personæ in nomine indiscretæ sunt, excepto Vocativo, qui est Personæ tantum secundæ.

Casus est specialis nominis terminatio.

Casus nominum sunt sex:

1. Nominativus.
2. Genitivus.
3. Dativus.
4. Accusativus.
5. Vocativus.
6. Ablativus.

Horum alii sunt recti, alii obliqui.

Recti sunt Nominativus & Vocativus.

Obliqui: Genitivus, Dativus, Accusativus & Ablativus.

REGVLÆ DE CASIBVS.

I. Dativus & Ablativus plurales ubiq; similes sunt, ut, *his & ab his Mustis, Magistris, corporibus, cornibus, speciebus*.

II. Neutrum genus ubiq; habet tres similes casus in utroque numero, Nominativum, Accusativum & Vocativum, qui pluraliter in A exeunt; ut, *Scamnum, pectus, cornu: scamna, pectora, cornua*.

III. Vo-

Cap. VI. De Declinatione prima. II

III. Vocativus similis est Nominativo in utroq; numero. *Excepta terminatione AS & ES in Declinatione prima: Vs & EVS in secunda.*

CAPUT VI.

DE DECLINATIONE PRIMA.

Declinatio est variatio nominis in fine per casus.

Declinationes nominum sunt quinque.

Prima Declinatio est cujus Genitivus & Dativus singularis desinit in *Æ* diphthongum: ut *hæc Mensa, hujus & huic Mensæ.*

Nominativi in hac Declinatione terminationes sunt 4. *A, E, AS, ES.*

Genitivus in *Æ*, ut *hujus Mensæ.*

Excipiuntur adjectiva fœminina decem: *Vna, ulla, nulla, sola, tota, alia, altera, utra, neutra, alterutra,* quæ genitivum per *ius* faciunt: *unius, ulius, &c.*

Genitivus antiquus in his compositis remansit: *Paterfamiliâs, Materfamiliâs, Filiusfamiliâs.*

Dativus desinit in *Æ*; ut *huic Mensæ.*

Excipiuntur antè dicta adjectiva, quæ Dativum per *I* faciunt, ut *uni, toti.*

Accusativus desinit in *AM*, ut *hanc Mensam.*

Ablativus desinit in *A*, ut *ab hac Mensa.*

Numerus pluralis.

Plurales, Nominativus & Vocativus similes

miles in Æ desinunt, ut: *Mense*.

Genitivus in A R U M, ut, *Mensarum*.

Dativus & Ablativus similes in Is, ut *Mensis*.

Excipe illa fœminina, quorum Dativi & Ablativi in A B U S terminantur, comprehensa hoc versiculo: *Filia, nata, dea, liberta, equa, mula, dua, ambe.*

Accusativus pluralis desinit in As, ut *Mensas*.

CAPUT VII.

DE SECUNDA DECLINATIONE.

Secunda Declinatio est, cujus Genitivus singularis desinit in I, & Dativus in O: ut: *hic Magister, hujus Magistri, huic Magistro.*

Nominativi terminationes numerantur 6.

E R, ut *gener*:

I R, ut *vir*;

U R, ut *satur*:

U M, ut *scamnum*:

U S, ut *dominus*:

E u s peregrina, ut *Orpheus*.

Genitivus singularis desinit in I; ut: *Magister, Magistri: Scamnum, scamni.*

Decem autem adjectiva, *Vnus, unum, Vllus, ullum; Nullus, um: Solus, um: Totus, um: Alius, ud: Vter, utrum: Alter, alterum: Alteruter, alterutrum: Neuter, neutrum:* (quod & in Genitivo Neutri facit) formant genitivum per *Ius*: ut *Unus, unius, &c.*

Dati-

Cap. VII. De Declinatione secunda. 13

Dativus in O definit; ut: *Magister, Magistro*: præter Adjectiva recensita, quæ per I finiunt: ut: *Vnus, unum, uni*.

Accusativus definit in UM, ut, *dominus, dominum; vir, virum*.

Ab Us fit Vocativus per E: ut: *dominus, domine; lupus, lupe; Cancellarius, Cancellarie; Secretarius, Secretarie*, Cætera sequuntur regulam generalem. Vocativus similis est Nominativo.

Excipitur ab hâc regulâ *Deus*, quod Vocativum facit *ô Deus*.

Deinde propria in Ius per I faciunt vocativos: ut, *ô Virgili, ô Valeri, ô Pompei, Cai à Cajus*: consona jod in i vöcalem redeunte: Quibus adde appellativum, *filius, ô fili*.

Ablativus finit in O; ut *Dominus, ab hoc Domino*.

Numerus Pluralis.

Nominativus & Vocativus plurales similes, in I masculinorum & fœmininorum: neutrorum in A, desinunt: ut: *hi Domini: hæc scæmna*.

Anomala sunt *ambo, duo*, in Masculino & Neutro. Item *Dii à Deus*.

Genitivus per Orum finit, ut *Dominorum, Magistrorum*.

Dativus & Ablativus in Is, ut *Dominis, Magistris*.

Ambo, Duo, faciunt *ambobus, duobus, Diis, à Deus*.

Accu-

Accusativus in Os, masc. & fœm. Neutorum in A desinit.

CAPUT VIII.

DE TERTIA DECLINATIONE.

Tertia Declinatio est, quæ Genitivum singularem format in Is, Dativum in I; ut: *hic & hæc civis, hujus civis, huic civi. Felix, felicitis, felici.*

Nominativus habet 10. literas terminales: Tres vocales, & septem consonantes: A, E, O, C, L, N, R, S, T, X: ut, *Poëma, cubile, sermo, lac, vectigal, numen, Cæsar, sacerdos, caput, felix*

Sunt & tres peregrinæ: I, D, Y, ut: *Sinapi, David, Moly.*

Genitivus desinit in Is: *Sacerdotis, felicitis.*

Dativus in I desinit: ut, *Sacerdoti, felici.*

Accusativus in Em, ut *Sacerdotem, felicem.*

Ablativus per E fit, ut: *Sacerdote, felice.*

Sed tamen variant à regulâ non pauca, quorum alia per I faciunt Ablativum, alia per I & E simul.

Ablativus per I tantum.

I. Neutra in E, AL, AR; ut *Mare, à mari: vectigal, à vectigali, calcar, à calcari. Præter far, jubar, nectar, hepar, sal.*

II. Adjectiva in Is & Er, quorum Neutra in E desinunt: ut, *Fertis, à forti: ceber, à celebri.*

Cap. VIII. De Tertia Declinatione. 15

III. Nomina Mensium; ut September, à Septembri.

Ablativus per E & I.

Per I & E promiscuè faciunt Ablativos: I. Adjectiva omnis generis: ut: *vetus*, à *vetere* & *veteri*: *felix*, à *felice* & *felici*.

II. Comparativa in *Or* & *Us*: ut *Major*, *majus*, à *maiore* & *majori*.

PLURALIS NUMERVS.

Nominativus, Accusativus, & Vocativus pluralis, in cæteris Generibus desinunt in *Es*, Neutorum verò, ut aliàs, in *A*.

Genitivus desinit in *Um*, vel *Ium*.

Dativus & Ablativus in *Bus*: ut: *Sacerdotibus*, *felicibus*.

CAPUT IX.

DE DECLINATIONE QVARTA.

Quarta Declinatio est, quæ format Genitivum singularem in *Us*, Dativum in *Ui*, ut: *Fructus*, *us*, *ui*.

Nominativi terminatio est, *Us*, & *U*; ut, *Vsus*, *Cornu*: Quæ posterior in singulari indeclinabilis est.

Genitivus desinit in *Us*; ut: *Fructus*.

Dativus in *Ui*; ut: *Fructui*.

Accusativus in *Um*; ut: *fructum*.

Ablativus in *U*; ut, *fructu*.

Plurales, Nominativus, Accusativus & Vocati

cati

cativus in Us & in neutris Ua; ut, *hi fructus, hæc cornua.*

Genitivus in Uum; ut, *fructuum.*

Dativus & Ablativus in Ibus: ut, *fructibus,*

Excipe, quæ *Vbus* finiunt: disticho comprehensa:

Arcus, acus, portus, quercus, ficus, lacus, arcus,
U retinent, quibus & tribus, atq; veru, & specus adde.

CAPUT X.

DE QUINTA DECLINATIONE.

Quinta Declinatio est, cujus Genitivus & Dativus singulares desinunt in EI.

Nominativi terminatio una est, Es.

Genitivi & Dativi Ei.

E longa est in puris, id est, vocalem ante Ei habentibus; ut: *Diéi*, in reliquis brevis: ut, *fidei.*

Accusativi Em: Ablativi E.

Plurales Nominativus, Accusativus & Vocativus in Es.

Genitivus Etum.

CAPUT XI.

DE GENERE ET REGVLIS
Generalibus.

Genus est discretio nominis secundum sexum. *Scaligero* est affectus sexum notans terminatione.

Estq; Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune, & Omne.

3. Ma-

3. Masculinum,	} <i>est, cuius</i> <i>nota est</i> <i>articulus</i>	} Hic.	
Fœmininum,			Hæc.
Neutrum,			Hoc.
Commune,			Hic & Hæc.
Omne.			Hic, hæc & hoc.

Cognoscitur Genus vel ex significatione;
de qua regulæ Generales: vel ex terminatione,
de qua regulæ Speciales.

REGVLÆ GENERALES.

REGULA I.

I. Virorum officiorum virilium, Mensium,
ventorum & fluviorum nomina, sunt generis
Masculini: ut: *Virgilius, Carolus: Consul, Prætor,*
Quæstor: Ianuarius, Februarius, &c. Eurus, Zephyrus,
Auster, Aquilo: Rhenus, Danubius.

REGULA II.

Mulierum, muliebrium officiorum, urbium,
pagorum, regionum, insularum, & arborum
nomina sunt generis Fœminini: ut *Lucretia,*
Carmenta, Sibylla: obstetrix, nutrix, mater: Giessa, No-
rimberga, Athenæ, Thebæ: Ægyptus, Cyprus, Delus,
Lesbus, Tenedus: pyrus, prunus, quercus.

Excipiuntur I. Urbium & Regionum no-
mina E, U M, vel U R finientia, quæ Generis
neutri sunt: ut hoc *Cære, Teate, Ilium, Ticinum,*
Lugdunum, Comum, Belgium, Illyrium, Tybur.

Et quæ in I desinunt pluralia Masculina: ut
hi Gabii, Veji, Philippi, Vbii, Iliturgi, Parisii, Fundi.

B II. Ar-

II. Arborum quædam nomina, ex quibus Masculina sunt *Oleaster, Pinaster, Pyraſter, Cytisus, Spinus, Hebenus, Rubus & Dumus.*

III. *Acer, Robur, Suber & Siler*, quæ neutra sunt.

REGULA III.

Fructuum, metallorum ac leguminum nomina pleraq; generis neutri sunt: ut *Pomum, pum, prunum, cicer, papaver, piper, aurum, argētum, es.*

Excipiuntur fœminina, quæ fructum & arborem significant: *oliva, nux, glans, castanea, avelana, & (pro diversitate significationis) ficus.*

Neutrum genus tribuitur nominibus literarum, & iis, quæ *τεχνικῶς*, ac materialiter effertur: ut, cùm dico, *Cesar* dissyllabum est.

REGULA IV.

Communia sunt, quæ his versiculis comprehenduntur:

I. Quæ cum discrimine sexus, utroque genere usurpantur:

Autor & antistes, custos, civisq;, comesq;, Coniux atq;, parens, affinis, testis, & haeres, Dux, vates, vindex, adolescens, miles, & hostis, Nemo, cliens, & sus, & bos, canis, atq; sacerdos.

II. Quæ p̄miscuè utroq; genere usurpantur:

Aies, adeps, balanus forceps, grossusq;, phaselus, Barbitus, & limax, natrix, serpensq;, silexq;, Atq; dies, torques, & onyx, & pampinus, imbrex,

III. Quæ rectiùs Masculino genere usurpantur:

Amnis, bubo, rudens, rubus, anguis, margo, eanalis, Cardio, culex, cortex, clunio, corbuq;, cinisq; ,

Et

Et *fin*, *funisq;*, *latex*, *sentisq;*, *vepresq;*,
Narcissus, *varix*, *pumex*, & *pulvis*, & *obex*.

IV. Quæ rectius Fœmin. genere usurpantur:
Calx, *arx*, *frons*, *grus*, *lynx*, *scrobs*, *stirps*, *atomasq;*, *palumbes*,

Damaq;, *talpa*, *colus*, *linter*, *stobs*, *carbafus*, *alvus*.

REGULA V.

V. Adjectivorum trium terminationum prima generis masculini, secunda Fœminini, tertia neutrius est: Duarum terminationum prior generis communis; posterior neutrius est. Unius terminationis Adjectiva sunt generis omnis.

Trium. { *Hic doctus, hæc docta, hoc doctum. Hic nigerrimus, hæc nigerrima, hoc nigerrimum. Hic unus, hæc una, hoc unum. Hæ duo, hæc duæ, hæc duo. Quadringenti, æ a. Idem, eadem, idem.*

Duarum. { *Hic & hæc fortis & hoc forte: Hic & hæc doctior, & hoc doctius: Hi & hæc tres, & hæc tria.*

Unius. { *Hic & hæc & hoc sapiens, concors, fugax, verus, nequam, totidem, intercus, par, concors, discors: Et numeralia: Quatuor, quinque, sex, octo, decem, viginti, triginta, centum, mille, &c.*

Mille bifariam usurpant Latini, aliàs adjectivè, aliàs substantivè. Adjectivum mille indeclinabile est, plurale tantùm, generis omnis; ut *mille homines, mille hominum. &c.*

Substantivum Mille, singulari numero indeclinabile est, generis neutri: ut mille passuum, mille hominum: Plurali autem sic declinatur: *Millia, millium, millibus, millia, millibus.*

CAPUT XII.

DE REGVLIS SPECIALIBVS.

A.

In A desinentia fœminina sunt: ut *hec Mensa, hec fabula, hec procella, hec uncia.*

Excipiuntur I. in Ta, verbalia & gentilia, quæ Græcè in τῆς desinunt, & pleraque masculina sunt: ut: *hic Cometa: hic Poëta: hic Planeta: hic Propheta: hic Spartiata: hic Crotoniata: hic Sybarita: hic Amphipolita.* Item: *Hadria* pro sinu maris.

II. Verbalia Græca in Ma tertiæ declinationis, neutra sunt: ut *hoc Poëma: hoc Noëma: hoc Drama: hoc schema.* [His adde *Pascha, hujus Paschatis.*]

III. Sunt & neutra, pluralia in A omnia: ut: *hec arma, Baëtra, crepundia.*

IV. Verbalia, *Incola, homicida, parricida, verna, indigena, advena, conviva, collega, hereditaria, pèrfuga, auriga, &c.* item *pincerna, scurra:* vulgò communia, veriùs masculina sunt.

E.

In E neutra sunt: ut *hoc mare; cubile, monile.*

Græca in E fœminina sunt: ut: *hec Parasce-*

ve,

ve, Epítome, Psyche. Quædam etiam neutra, sed pluralia; ut hæc *Tempe, cete, mele*.

Pluralia in Æ fœminina sunt: ut: *nugæ, tenebrae*.

I.

In neutra sunt: ut: *hoc gummi, sinapi*.

O.

In O masculina sunt; ut: *hic sermo, ardelio, mucro, ordo, cardo, ligo, mango*.

Excipiuntur I. fœminina, quæ Do vel Go finiunt hyperdissyllaba, penultimâ longâ: ut: *hæc alcédo, arundo, testúdo, imágo, ærúgo, verúgo, cupido* pro cupiditate, (aliâs enim masculinum est *Cupido*, nomen proprium pueri.) Item hæc *grando & virgo* dissyllaba.

II. Fœminina sunt & verbalia in Io, iis que affinia: ut: *hæc oratio, legio, regio, natio, statio, religio, ambitio, concio, factio, ditio, unio*; item *talio, & caro* dissyllabum. Excipe *pugio* (à *pungo*,) *unio* (pro *gemma*,) *ligurio, polio* (qui arma polit.) quæ masculina sunt.

III. Pondo neutrum & indeclinabile est.

U & Y.

In U & Y neutra sunt: ut: *hoc cornu, genu, veru, æoly*.

C. D. L.

In C, D, & L, neutra sunt: ut: *hoc, lac, halec, hoc aliud, aliquid: hoc tribunal, vectigal, mel, fel, nil, nihil, sal*, (quod etiam masculino genere usurpatur.)

B

3

Ex

Excipiuntur masculina: *Mugil, pugil, vigil, Sol, consul, exul*: & fœmininum *strigil*, [pro quo tamen rectiùs *strigilis* dices.]

M.

In M neutra sunt: ut: *hoc lorum, speculum, templum, scamnum.*

AN, IN, ON.

In AN, IN, ON, Græca sunt & masculina: ut, *Pæan, Titan, Delphin, Canon, Demon, Helicôn*: Exceptis fœmininis, *findon, aëdon, halcyon, & icon*, & quæ urbium propria sunt: ut, *hæc Sidon, Anthedon, Babylon.*

EN.

In EN neutra sunt: ut: *hoc flumen, lumen, flamen, examen, fulmen.*

Excipiuntur hæc Masculina: *Ren, splen, lien, hymen, lichen, åttagen, pecten, flamen* (pro Sacerdote): & composita à Cano: *Fidicen, lyricen, cornicen, tibicen.*

AR.

In AR neutra sunt: ut, *laquear, calcar, far, baccar, Epar, lacunar, lupanar, Nectar, pulvinar, subligar, torcular, jubar, Lar Masculinum.*

ER.

In ER masculina sunt: ut, *agger, vesper, carcer, cancer, alabaster.*

Excipiuntur I. hæc fœminina: *Mater, mulier, diameter, periméter.*

II. Quæ VER aut BER finiunt, neutra sunt: ut, *Ver, cadaver, suber, tuber*, (pro tumore:)

Cap. XII. De Regulis Specialibus. 27

re:)huber. Excepto imber cum compositis, Mulciber.

III. Neutra sunt iter, spinter, siler, laser, piper, cicer, papaver. Cúcumer, & tuber, (pro fructu,) masculina sunt: laver fœmininum; Degener, pauper & uber adjectivè sumpta, ex regulis generalibus manifesta sunt.

IR.

In IR masculinum est: hic vir cum compositis: Levir, Semivir, Triumvir, Septemvir, Decemvir, &c.

YR.

Martyr Græci in masculino, & vulgò communi genere utuntur.

OR.

In OR masculina sunt: ut: amor, honor, furor.

Excipe I. Fœminina: Arbor, soror, uxor.

2. Neutra, Æquor, cor, marmor, & ador.

UR.

In UR neutra sunt: ut: hoc ebur, sulphur, jeour.

Excipiuntur hæc masculina: Fur, vultur, turtur, fursur.

As.

In As fœminina sunt, ut hæc bonitas, pietas, castitas. Sic Græca per adis flexa: ut hæc lampas, olympias.

Excipiuntur I. hæc Masculina, Mas, maris: as, assis: vas vadis, (pro sponsore;) & Græca primæ declinationis: aut tertiæ per Ntis flexa: ut

B

4

sa

Satanas, Boreas, Adamas, Elephas, Gigas:

II. Hæc neutra, *vas, vasis, eum Geschirz*: Item *fas & nefas* indeclinabilia.

Es.

I. In Es tertiæ declinationis, quæ crescunt genitivis, masculina sunt: ut *Gurges, gurgitis: fomes, fomitis: aries, arietis: paries, parietis: pes, pedis: sonipes, sonipedis: magnes, magnetis: lebes, lebetis: Bes, besis.*

Excipiuntur hæc fœminina: *Seges, segetis: teges, tegetis: compes, edis:* & quæ in obliquis E producunt Latina: ut *hæc merces, edis: quies, quietis.*

Præs, prædis masculinum est.

Æs, æris neutrum.

II. In Es, quæ non crescunt genitivis, fœminina sunt: ut *hæc fames, lues, tabes.*

Excipiuntur *Verres, Acinaces*, masculina: *Hippomanes, cacoëthes*, neutra.

Sunt & fœminina quintæ declinationis omnia: *hæc fides, res, species. Meridies* masculinum tantum est & singulare.

Is.

In Is fœminina sunt tam Græca quam Latina, ut *hæc vis, avis, cutis, sitis, amussis, aspis, pyxis, jaspis, paropsis.*

Excipiuntur Masculina, quæ his versibus continentur.

*Masculina sunt, panis, penis, crinis, cinis, ignis,
Nec non & vectis, piscis, fascisq̄, lapisq̄.*

Hinc

Hinc furtis, postis, hinc axis, vermis & unguis,
E collis, follis, callis glis, sanguis & ensis.
Et mensis, torris, vomisq³, sodalis, & orbis,
Et Majalis, natalis, rivalis, aqualis,
Cales & caulis, cumq³ assis prole, jugalis.
Hinc cucumis: & quæ sexu inveniuntur utroq³,
Ut clunis, torquis, tum pulvis, finis & anguis,
Et corbis, funis, sentisq³, canalis, & amnis.

Y s.

Fœminina sunt, & Græca pleraque, quæ in
ys per y desinunt: ut hæc chlamys, pelamys, chelys,
Erinnys.

O s

In Os masculina sunt; ut hic honos, flos, lepos: &
Græca Tros, Eros, heros, Gelos, Monoceros, Agoceres,
Rhinoceros.

Excipiuntur I. fœminina hæc: Arbos, cos, dos,
& glos, & Græca in Os longum; ut, Eos.

II. Hæc neutra; os oris, os ossis.

U s.

In Us secunde & quartæ declinationis pre-
raq; masculina sunt; ut hic ventus, annus, fructus,
fluctus, arcus, visus, amaracus, hyacinthus (pro flore)
intybus.

Excipiuntur I. hæc fœminina: Vannus, hu-
nus, acus, manus, tribus, porticus, domus, & plurale,
idus.

II. Excipiuntur hæc fœminina Græca: Ar-
etus, eremus, byssus, abyssus, diphthongus, antido-
tus. Item gemmarum nomina: ut Amethystus,
Crystallus, Hyacinthus, Sappirus, Chrysolithus.

B s

[Smara-

[Smaragdus tamen, Beryllus, Opalus in masculino genere reperies.]

Et hæc fruticum nomina: Hæc *Nardus bibulus, papyrus, Crocus, hyssopus, costus*. Et ab ὀδός composita: ut *methodus, Synodus, exodus, periodus*, III. Hæc neutra: *pelagus, virus*, quod indeclinabile est. *Vulgus* & neutro & masculino genere legitur.

II. In Us tertiæ declinationis, quæ U in obliquis retinent, fœminina sunt: ut *hæc salus, salutis: palus, údís: incus incúdis: subscus, údis: tellus tellúris: pécus pecudis*.

Excipe monosyllaba neutra: *jus, cyrus, rus, pus, thus, plus, Mus* masculinum est.

III. In Us tertiæ Declinationis, quæ U in obliquis mutant, neutra sunt; ut *Acus, aceris: corpus, oris*. Excipe *lepus léporis*: quod masculinum est.

Aus & S impurum.

In Aus & S impurum fœminina sunt: ut, *Laus, fraus, frons, ars, mors, puls, hyems, cohors, bidens* (prò ove.)

Excipiuntur I. masculina: ut *Mors, pons, fons, dens, seps*, (serpentis nomen) *bidens*, (pro bipalio, five sarculo) *manceps, princeps, cyclops, hydrops, chalybs, oriens, occidens* (substantiva) *Æthiops*.

T.

In T neutra sunt: ut *caput* cum compositis.

In

X.

In X desinentia Fœminina sunt: ut sunt i. in
Ax: ut fax, pax, fornax, climax.

2. In Ex, ut fex, lex, suppellex, carex, vibex, forfex,
halex, tomex, atriplex.

3. In Ix, ut cornix, cervix, lodix, radix, filix, fulix,
perdix, mastix, nix, pix, strix, pistrix, helix, cicatrix,
coxendix, appendix.

4. In Ox, ut nox, vox, celox.

5. In Ux, ut lux, nux, faux.

6. In Yx, ut styx.

7. In X impurum, ut falx, lanx, arx, sphinx,
phalanx, meninx.

Excipiuntur masculina, his versiculis com-
prehensa:

AX. Thorax, Arctophylax: cordax, harpaxq; colaxq;
Atq; styrax, anthrax, & dropax, nycticeraxq;.

EX. Grex, Frutex, vertex, vervex, caudexq; rumexq;
Et remex, ramex, codex, cum murice, lorex,

Pulex & pollex, & apex, cum cimice, pedex,

Index & iudex, si substantiva leguntur.

Atq; senex: & que generalis regula preedit.

IX. Mascula sunt forax, phœnix, spadixq; calixq;

YX. Et coccyx & Eryx, & oryx, sandyxq; dioryx,

OX. UX. Bombyx, atq; calyx, tradux, volvox, ut
& esox.

NX. Et partes assis: Quincunx, septunxq;, deunxq;.

CAPUT XIII.

DE NOMINIS SPECIE ET

Figura.

Ex specie, Nominum alia sunt primitiva,

ut *equus*, *aper*: alia Derivativa, ut *equuleus*, *apru-*
gnus.

Figura Nominum est simplex, ut *maturus*:
vel composita, ut *prematurus*.

CAPUT XIV.

DE PRONOMINE.

Pronomen est pars orationis variabilis, quâ
utimur in demonstrandâ aut reperendâ re, u-
bi Nominis repetitio ingrata erat futura.

Vel: Pronomen est nomen vicarium: (*id est*,
vox variabilis per casum, significans rem secundariò sine
tempore.)

Sunt autem pronomina hæc: *Ego, tu, sui, ille,*
iste, ipse, hic, is, quis, qui, meus, tuus, suus, noster, vester,
nostrâs, vestrâs, cuius & cuiâs.

Accidunt pronomini octo: *Significatio, Nu-*
merus, Persona, Casus, Declinatio, Genus, Species & Fi-
gura.

Significatio Pronominum est, qua vis &
natura eorum declaratur.

Estq; sextuplex: *Demonstrativa, Relativa, Reci-*
proca, Interrogativa, Possessiva & Gentilis.

I. Demonstrativa sunt, *Ego, Tu, Hic &*
Iste.

II. Relativa sunt, *Is, Ipse, Qui.*

Ille alias demonstrativum est, aliâs relati-
vum.

III. Reciproca sunt, *Sui & Suus.*

IV. In-

IV. Interrogativa sunt, *Quis, Cujus & Cujâs.*

V. Possessiva sunt: *Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester.*

VI. Gentilia sunt, *Cujâs, Nostrâs & Vestrâs.*

Numerus, ut in Nomine est: Singularis, ut *Ego*: Pluralis, ut *nos*.

Personæ in pronomine sunt: Prima, ut *Ego*: Secunda, ut *Tu*: Tertia, ut *Ille*.

Casus iidem sunt, qui in Nomine, excepto Vocativo, cujus usus tantum est in his pronomibus; *Tu, meus, noster, & nostrâs.*

Genus est in Pronominibus, perinde ut in Adjectivis Nominum: Nam per tria genera vagantur Pronomina: alia una terminatione, ut: *Ego, tu, sui, cuiâs, nostrâs, vestrâs.* Alia tribus; ut: *ille, a, ud: iste, a, ud: Ipse a, um: Hic, hæc, hoc: Is, ea, id: Quis, vel Qui, quæ vel qua, quod vel quid: Meus, a, um: Tuus, a, um: Suus, a, um, Vester, a, um: Cujus, a, um.*

Species pronominum sunt: Primitiva: ut *Ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic, is, quis, qui.* Et derivativa: ut reliqua omnia.

Figuræ pronominum sunt: Simplex, ut *ego*: Composita, ut *egomet*.

OS(:)SO
S

CAPUT

CAPUT XV.

DE VERBO, EIVSQVE FORMA,
Numero, Personis, Tempore, & Modis.

Verbum est vox variabilis, significans agere aliquid aut pati; ut, *verberare* actionem significat, *verberari* passionem.

Vel: est vox variabilis per modos, rem significans sub tempore.

Verbo accidunt octo: *Forma* (seu *genus*, sive *significatio*) *Numerus*, *Persona*, *Tempus*, *Modus*, *Conjugatio*, *Species* & *Figura*.

FORMA.

Ex Forma verbum est vel biforme, quod utraq; forma variatur, ut *Activum* & *Passivum*: Vel uniforme, quod alterutra tantum forma variatur: ut *Neutrum* & *Deponens*.

Activa sunt, quæ desinunt in O, & assumere possunt literam R: ut *Amo*, *amor*; *Moneo*, *moneor*. *Lego*, *legor*: *Audio*, *audior*.

Passiva sunt, quæ in Or desinunt, & possunt abjicere literam R, ut *Amor*, *amo*: *moneor*, *moneo*: *legor*, *lego*: *audior*, *audio*.

Neutra sunt, quæ in O desinunt, nec assumunt literam R: ut, *Sto*, *curro*, *aro*, *frigeo*, *caleo*.

Deponentia sunt, quæ in Or desinunt, nec abjicere possunt literam R, ut, *precor*, *sequor*.

NUMERVS.

Numeri verborum sunt: *Singularis*; ut, *lego*: *Pluralis*: ut, *legimus*.

PER-

PERSONA.

Personæ sunt tres: Prima, ut *lego*. Secunda, ut *legis*. Tertia, ut *legit*.

Ex persona verbum 1. est Personale, aut impersonale. 2. Finitum, aut infinitum.

I. Personale verbum est, cui Nominativus certæ personæ vel rei præponi potest: ut, *Ego lego, tu legis, ille legit*.

Impersonale, quod in tertiis duntaxat personis singularibus variatur, *id est*, quod certam personam, remvé Nominativo casu non recipit: ut *legitur, decet*.

Tempus est, 1. *Præsens*, 2. *Præteritum Imperfectum*. 3. *Præteritum perfectum*. 4. *Præteritum plusquamperfectum*. 5. *Futurum*.

MODVS.

Modi verborum sunt, qui variam in actione & passione voluntatem seu affectum indicant, ut *Indicativus, Imperativus, Optativus, Subjunctivus, & Infinitivus*.

GERUNDIA habent tres voces, *Di, Do, Dum*, ut *legendi, legendo, legendum*.

SUPINA duas voces habent: *Um & U*, ut *lectum, lectu*.

CAPUT XVI.

DE CONIUGATIONE PRIMA.

Conjugatio est variatio verbi secundum modos, tempora, & personas.

Con-

Conjugationes verborum sunt quatuor.
 Prima conjugatio est, cujus character est A
 longum ante Re in Infinitivo, ut *amare, beare*.

Habet hæc in præterito perfecto *Avi*, in supino *Atum*, ut: *amo, amavi, amatum. Abnego, abnegavi, abnegatum. Revelo, revelavi, revelatum.*

CAPUT XVII.

DE SECUNDA CONIUGATIONE.

Secunda conjugatio est, cujus character est
 Elongum ante Re in infinitivo, ut *monere, debere, habere*.

Habet in præterito *Uii*, in supino *Itum* breve, ut *manui, monitum*.

CAPUT XIIII.

DE TERTIA CONIUGATIONE.

Tertia conjugatio est, cujus character est
 E breve ante Re in Infinitivo, ut *legere, dicere, ad-
 dere, scribere, bibere*.

CAPUT XIX.

DE QUARTA CONIUGATIONE.

Quarta conjugatio est, cujus character est
 I longum ante Re in Infinitivo, ut *audire, aperire, esurire*.

Habet

Habet in præterito *ivi*, in supino *Itum*, *I* longo.

CAPUT XX.

DE VERBI SPECIE ET
Figura.

Species verborum sunt, primitiva, ut *Lego*, *dico*: Derivativa, ut *Lectito*, *dictito*.

Figuræ Verborum sunt: simplex, ut *lego*,
Composita, ut *pérlego*.

CAPUT XXI.

DE PARTICIPIO.

Participium est nomen verbale significans tempus. Vel: *est vox variabilis per casus significans rem cum tempore.*

Omnia auem participia adjectiva sunt; & terminantur in *Ans*, *Ens*, *Xus*, *Tus*, *Sus*, *Rus*, & *Dus*.

Participio accidunt: *Significatio*, *Numerus*, *Persona*, *Casus*, *Declinatio*, *Genus*, *Tempus*, & *Figura*.

Significatio, ut in Verbo, quadruplex est: *Activa*, ut *legens*, *audiens*. *Passiva*, ut *lectus*, *auditus*. *Neutralis*, ut *sedens*, *vigilans*: *Deponentalis*, ut *indignatus*, *hortatus*.

Numeri Participiorum sunt, singularis, ut *legens*: pluralis, ut *legentes*.

Personæ sunt ut in *Nomine*.

Casus quoque iidem sunt qui in *Nomine*.

C

Decl-

Declinatio itidem perinde est, ut in Nominibus: in VS enim, a, um, desinentia, in prima & secunda Declinatione: in NS in tertia variantur.

Genus ex regula quinta generali Nominum cognosci potest: Nam generis Omnis ea sunt, quæ NS finiunt, ut *hic & hæc & hoc Amans, legens*. Cætera mutant genera per terminationes, ut *hic lectus, hæc lecta, hoc lectum*.

Tempora participiorum tria sunt, *præsens, præteritum & futurum*.

Præsens vocum est, quæ in NS desinunt, ut *amans, legens, docens*.

Futurum vocum est in Rus & Dus finientium, ut *Lecturus, legendus: Amaturus, amandus*.

Cæteræ voces in Tus, Sus, Xus, Præteritum tempus significant.

Figuræ Participiorum sunt, Simplex, ut *spirans*: Composita, ut *respirans*.

CAPUT XXII.

DE ADVERBIO.

Adverbium est pars orationis invariabilis, quæ actionis aut passionis circumstantiam una voce effert, ut *dicit graviter, venit properè*.

Adverbio accidunt: *Significatio, Species, & Figura*.

Significationes adverbiorum sunt *varia*.

Loci: 2

Cap. XXII. De Adverbio. 35

Locis: hîc, ibi, illic, inde, intrò, foras. *In loco*, hîc, illic, istuc, ibi, ubi, ubicunq;, ubique, ubivis, alibi, intus, foris, suprâ, præstò, usquam, alibi, belli, domi. *Ad locum*: Huc, illuc, istuc, eò, quò, aliquò, siquò, ne quò, eòdem, quocunque, intrò, forâs, introrsum, retrorsum, rursus, sursum, deorsum, lævorsum, dextrorsum. *De loco*: Hinc, illinc, isthinc, inde, unde, alicunde, cœlitùs, funditùs, radicitùs, internè, supernè. *Per locum*: Hâc, illac, isthac, nequa, siqua,

Temporis: *vel presentis*, hodie, nunc: *vel prateriti*, modò, pridem, dudum, nuper, antea, heri, nudius tertius: *vel futuri*, cras, perendie: *vel indefiniti*, quondam, olim, quando, siquando, aliquando, quandoq; paulisper, quantisper, tamdiu, diu, interdium, interdum, quandiu, aliquamdiu, &c.

Numeri, semel, bis, ter, quater, &c. sæpè, rarò, rursus, iterum, tertium, quartum, &c.

Negandi, haud, non, neque, haudquaquam, minime, nullatenus, neutiquam, ne, nec. *Sic nihil & nullius*, adverbialiter sumpta.

Affirmandi: Ita: certè, profectò, etiam, quidni, scilicet, videlicet, quippe, nempe, nimirum, planè, maxime, &c.

Demonstrandi: En, ecce.

Optandi, ut, utinam, ô si.

Hortandi, Eja, age, agite, agendum, agitedum. *Sis* (id est, si vis) *Sodes* (id est, si audes.)

Ordinis: Deinde, deinceps, protinus, continuò, antea, postea, denique, præterea, primò, postremò, &c.

Interrogandi: Cur, quare, quamobrem, quando, num, nunquid, nonne, utrùm, quid, quidni, quid ita?

Similitudinis: sic, sicut, sicuti, velut, veluti, quasi, ceu, tanquam, ut, uti, propè, æquè, perinde, prout, ac si, non aliter, non secus, nõ minùs, quomodo, quemadmodum, item, &c.

Qualitatis: Doctè, pulchrè, fortiter, viriliter, benè, malè,

strictim, punctim, cæsim, raptim, furtim, tractim, & familia.

Quantitatis: Multum, parum, parumper, modicum, minimum, nimium, plurimum, quoad satis, ostiatim, vicatim, viritim. *Huc pertinent etiam adverbia latendendi*, ut; valde, prorsus, admodum, omnino, penitus, perpulchre, peropus, perquam, sane quam, nimis quam, tanquam. & ut, *quando cum admiratione proferatur*: *Vt vidi, ut perii. Virg. Et Remittendi*: sensim, paulatim, pedetentim, egré, vix, aliquantum, paulum, clanculum, longiuscule, meliuscule, sæpiuscule, rariusculè, penè, propè, propemodum, fermè, ferè.

Dubitandi: Forlan, forfitan, fortasse, fortassis, & fors.

Eventus: Fortè, fortuito, fortuito, fortè fortuna, [casu.]

Vocandi: Heus, eho.

Respondendi: Heu, chem.

Separandi: Scorsum, separatim, privatim, secretò, divisè, sigillatim, bifariam, secus, aliter, solum, tantummodò, duntaxat.

Iurandi, Sic, Per.

Eligendi sive corrigendi: Potius, imò, magis.

Congregandi: Simul: unà, pariter, collectim, summarim.

Prohibendi: Ne, nequaquam.

Concedendi: Sanè, sanè quidem.

Comparandi Minus, magis, optimè, pessimè, &c.

Species Adverbiorum sunt primitiva, ut *mox, cras, heri, pax*: Derivativa, ut *hodiè propediem, centies, millies*.

Figuræ Adverbiorum sunt, simplex, ut: *prudenter, diu*, composita, ut: *imprudenter, interdum*.

CAPUT XXII.

DE PRAEPOSITIONE.

Præpositio est vox invariabilis, verbo nomen adjungens, quod aliquam facti circumstantiam significat.

Præpositionum alia sunt separabiles, alia inseparabiles.

Separabiles sunt, quæ in vocum compositione se jungi possunt, ut: *Ad, apud, ante, adversus, cis, citra, ultra, intra, extra, circum, circa, circiter, contra, erga, inter, infra, supra, juxta, ob, pone, per, prope, præter, propter, post, penes, secus, secundum, trans, versus;* Vulgò accusativi casus.

A, ab, abs, absque, cum, coram, de, è, ex pro, præ, palam, sine, Vulgò, ablativi casus.

In, sub, super, & subter. Vulgò utriusq; casus. His adduntur *Clam, Procul, Tenus, Usque.*

Inseparabiles, quæ extra compositionem nihil significant, ut: *Di, dis, re, se, an, con.*

Præpositioni accidunt: Significatio, Species, & Figura.

Significatio præpositionum varias rei circumstantias adsignificat.

Species præpositionum est Primitiva, ut *Cis, Ex, In;* vel Derivativa, ut *Citra, Extra, Intra.*

Figura est Simplex, ut *Ad,* Composita, ut *Adhortor.*

CAPUT XXVI.

DE CONIUNCTIONE.

Coniunctio est vox invariabilis, connectens ordinansq; sententias.

Accidunt Coniunctioni, Significatio vel Potestas, Ordo, Species & Figura.

Potestas est, quia ipsa vis & natura Coniunctionis explicatur.

Hujus species præcipuæ sunt: Copulativa, Disiunctiva, Adversativa, Causalis, Rationalis, Ordinativa, & Completiva.

Copulativæ Coniunctiones sunt, Et, que, quoque, ac, atque, etiam, cum tum, tum tum.

Disiunctivæ sunt, Ve, vel, aut, sive, seu, nec, neq; utrum, num, an, ne, nec ne. Hæ quinque posteriores etiam Dubitativæ appellantur, & interrogationibus inserviunt.

Adversativæ sunt, At, sed, ast, verum, autem, verò, quidem, porro, atqui, ceterum, tamen, quanquam, quamvis, etsi, licet, dummodo, veruntamen, quin, nedum, imò: & quæ his cognatæ sunt deminutivæ, saltem, at certe, & comparativa quàm.

Causales sunt, Nam, namque, enim, etenim, quia, quoniam, quando, quandoquidem, quod si, siquidem, equidem, sin, seu, sive, cum, dum, ni, nisi, enimverò, quippe, neve, neu, quò, quatenus, quin, ne non, quò minus, &c.

Ratio-

Rationales sunt, Ergò, ideò, igitur, idcirco, quocirca, quapropter, proinde, ita, itaque.

Ordinativæ sunt, Insuper, postea, postquam, denique, deinde, deinceps, & similes.

Expletivæ, (Completivæ seu repletivæ) sunt. Nam, quidem, equidem, sanè.

Ordo Conjunctionum est, quo in oratione præponuntur aut postponuntur.

Ex quo sunt triplices Conjunctiones: aut præpositivæ: aut postpositivæ, aut communes.

Præpositivæ sunt: Atque, ac, & sed & sed etiam, verum, verum etiam, nedum, nec, neque, tum, quin, quinetiam, sin, ast, extra quam, imò, sed, quòd, præterquam, quamvis, quanquam, aut, vel, an, sive, seu, etenim, nam, namque, sic, quapropter, quocirca.

Postpositivæ seu subjunctivæ: quoque, que, autem, interea, quidem, enim.

Communes sunt quæ nunc præponuntur, nunc postponuntur, ut: adeò, etiam, item, itemq;, insuper, vel, si, ni, nisi, alioqui, alioquin, interim, ut, licet, tamen, porro, enimverò, ut, uti, quòd, siquidem, equidem, ne, ergò, ita, itaque, igitur, (quod tamen sæpius postponitur.)

Ad postpositivas etiam pertinent dictiones Encliticæ, quæ tonum suum in finem præcedentis dictionis rejiciunt, ut: Que, Ne, Ve.

Species conjunctionum sunt, Primitiva, ut Aut: Derivativa, ut Verum, licet.

Figuræ Conjunctionis sunt, simplex, ut *Nam* composita, ut *Namque*.

CAPUT XXV.

DE INTERIECTIONE.

Interjectio est vox invariabilis, animi affectum significans.

Interiectioni accidit, Significatio, Species & Figura. Significatio, varia est pro affectuum varietate.

Aliæ enim sunt Admirantis, ut *Papa, hui*.

Aliæ Fastidentis: *oh, phy, Apage, Lætantis, evax, jo, ô*.

Dolentis, *Heu, ah, ô, hei, hoi, hei*.

Timentis, *Oh, etat, hei. Au*.

Ridentis, *ha, ha, he*.

Exclamantis, *ô, prô*.

Minantis, *Væ*.

Deridentis, *Hui, vah, oh*, quibus addi potest, *Eja*.

Vocantis, *heus, eho, ehodum*.

Approbantis, *euge*.

Blandientis, *sodes*.

Silentis: *Au, St. Pax*.

Species interiectionis est vel primitiva, ut *Heu, Hem*, vel Derivativa, ut *Eheu, Ehem*.

Figura est vel simplex, ut *Eho*, vel composita, ut *Ehodum*.

LIBER



LIBER SECUNDUS GRAMMATICÆ,

CAPUT I.

DE CONVENIENTIA NOMINIS CVM NOMINE.

SYNTAXIS est secunda pars Grammatices, de ratione conjungendarum distinguendarumq; vocum, ad faciendam orationem.

Vnde vel Conjunctionis est, vel Distinctionis.

Syntaxis conjunctionis est, quæ voces rectè connectere docet.

Syntaxis conjunctionis est vel Intransitiva seu convenientiæ: vel Transitiva seu rectionis.

Syntaxis Convenientiæ est, quando vox una cum altera in certis accidentibus concordat, ut, 1. Nomen cum nomine. 2. Nomen cum verbo. 3. Partes orationis variables cum invariabilibus, aut inter se etiam.

REGVLA I.

Adjectivum & Substantivum eodem genere, numero, & casu coherent, ut:

Amicus certus in re incerta cernitur. Enn. Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Iuven.

OBSERVATIONES.

I. Ad eundem autem modum & Pronomina & Participia substantivis connectuntur, ut:

C S

Nam

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Hor.
Hujus & illius pietas fert premia vitæ, 1. Tim. 4. Tela
prævisa minis nocent. Seneca.

II. Interdum adjectiva substantivorum naturam
induunt, quando videlicet duo vel plura sine substantivo
concurrunt, ut:

Fortunate senex. Virgil. Optima prima ferè manibus
rapiuntur avaris Implentur numeris deteriora suis. Ovid.

Idem usavenit in Pronominibus, ut:

Aquila sepe iis ipsis configitur sagittis, quibus sua penna
aptantur, Julianus Augustus.

III. Cum ad verbum vel totam orationem prece-
dentem, adjectivum vel relativum infertur, neutro ge-
nere plerunque ponitur, ut:

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. Pers. Scire
tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter. Idem. In tempore
ad eam veni, quod rerum omnium primum est. Terent.

IV. Relativa quæ accidentis vocantur, genus, nu-
merum & casum mutuantur à substantivis, quibus pro-
ximè coherent, ut:

Tanta cuiusque sunt mala vel bona, quantum est animus,
qui illa sustinet. Cicer. Quales in Republica principes sunt,
tales reliqui solent esse cives. Idem.

V. Relativum cum antecedente substan-
tivo necesse est genere & numero convenire:
casu autem convenire necesse non est, nam is
sequenti verbo respondet: ut,

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa
diu. Horat. Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
Lucan.

VI. Relativum Qui, Quæ, Quod, positum inter duo
substantiva diversorum generum, tam sequenti quam
antecedenti rectè respondet.

Ante-

De convenient. Nominis cū Nomine. 43

Antecedenti, ut: *Vnus erat toto natura vultus in orbe,*
quem dixit e chaos. Ovid.

sequenti, ut: *Animal ratione plenum, quem dicimus ho-*
minem. Cic.

VII. Adjectivum participiale inter duo substanti-
va positum, cum anteriori concordat, ut:

Verbum *caro factum est* (non *facta*) *Ioh. 1.* Bonosus
Imperator, cū vitam laqueo finiisset, dictus est *amphora*
pendens, (non *dicta.*) *Vopisc.*

VIII. Interrogativum & Redditivum casu conve-
nire debent, ut:

Cui dono lapidum novum libellum? *Corneli, tibi.* *Caesul.*

Excipe 1. Cū per vocem queritur, qua cum aliis
nominibus alio casu construitur, interrogativum & red-
ditivum casu aliquando discordant: ut.


Quanti emptus est liber? *Duabus drachmis.*

2. Cū per pronomen *Cujus* queritur, possessoris
nomen genitivo casu subicitur: Possessiva autem prono-
mina eo casu, quem verbum, ad quod respondetur, re-
quirit, ut:

Cujus est haec oratio? *mea, tua, nostra, vestra, ipsius,*
Ciceronis, &c. *Cujus puerum adduxisti?* *meum, tuum,*
Pamphili, Terent.

APPOSITIO est, cū duo substantiva,
eiusdem sive diversi generis, eodem casu, abs-
que Coniunctione de eadem re dicuntur: ut,

Effodiuntur opes irritamenta malorum. Ovid. *Et ge-*
mus & formam regina pecunia donat. Horat.



CAPUT

CAPUT II.

DE CONVENIENTIA NOMI-
nis cum Verbo.

REGULA I.

Nominativus præcedit verbum personale finitum simili numero & persona, ut:

Ferrum tuctur principem. Seneca. Labor omnia vincit. Virg.

OBSERVATIONES.

I. Hinc vocativi secundæ personæ imperativis præponuntur, aut sine verbo ornatus vel affectus causa orationi inferuntur, ut:

Tu regere imperio populos Romane memento. Virgil. Nate Dea, quò fata trahunt retrahuntq; sequamur. Virgil.

II. Utimur prima & secunda persona dissimulatis ferè pronomibus: ut,

Vivo equidem, vitamq; extrema per omnia duco. Virg. Nitimur in vitium semper, cupimusq; negata. Ovid. (pro ego vivo, ego duco: Nos intinur, nos cupimus, &c.)

III. Tertiâ quoque personâ quandoque absolute sine nominativo utimur, in iis videlicet, quæ per Ellipsin seu secundum intellectum dicuntur, ut:

Primò, ajunt, dicunt, ferunt, perhibent, &c. scilicet homines.

Secundò in verbis, quæ exemptæ actionis vocantur, ut: Tonat, pluit, ningit, diescit, vesperascit, &c. scilicet cælum vel aër,

Tertiò. In Impersonalibus passivis: ut, Vivitur ingenio, cetera mortis erunt, Ovid.

IV. Est & cum infinitivus, aut tota oratio infini-

*infinitiva pro nominativo Græca consuetudine ponitur,
ut,*

*Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit
mores nec sinit esse feros. Ovid. Crede mihi sapere est non
nimium sapere, Martial.*

*V. Huc pertinent Adverbia loco nominativi posita,
ut:*

Satis est. Abunde est fraudis. Virg.

Et Voces materialiter posita, ut:

Amo est Verbum.

Et quando infinitiva oratio circumscribitur, ut:

Quod tyranni vivunt, malum est.

CAPUT III.

DE CONVENIENTIA PARTIVM

Orationis invariabilium.

REGVLA I.

*Adverbia subjiciuntur verbis & eorum par-
ticipiis ad explicandas actionum circumstan-
tias, ut:*

*Festina lentè. Quod citò fit, citò perit. Malè par-
tè malè dilabuntur.*

REGVLA II.

*Adverbia etiam interdum nominibus adje-
ctivis aut adjectivè usurpatis, & sic etiam in-
tendendi vel minuendi gratiâ, adjiciuntur, ut:*

*Mul. er admodùm anus. Terent. Gnaviter impuden-
tem esse oportet, qui semel verecundia fines transierit. Cic.*

REGVLA III.

Adverbia inter se quoque conveniunt, ut:

*Sat citò si sat benè. Cato. Ferè libenter homines id,
quod volunt, credunt, Caesar.*

REGV-

REGVLA IV.

Conjunctio aut similes casus & tempora conjungit, aut orationem novam superiori attexit, ut:

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Ovid. Tempora labuntur, rarisque senescimus annis, Et
fugiunt freno non remorante dies. Idem.

REGVLA V.

Ut causalis, & quæ similem vim habent, Quippe quod, Quin, Ne, Uti, Ne non, Qui, Ut qui, Quippe qui, Quippe cum, subjunctivum adsciscunt.

Observatio. Si presens verbum precedat, subjunctivus sequens presentis temporis esse solet; sin præteritum verbum præcesserit, subjunctivus sæpius in imperfecto ponitur, ut:

Tolluntur in altum. Ut lapsu graviore ruant. Claud.
Ut flerent, oculos erudiere suos Ovid. Et in presenti, subjunctivus quoque ponitur, nempe quando actio adhuc durat, notante Erasmo in copia R. & V. ut: Orare jussit hec, ad se ut venias. Teren. In hoc apparuit Filius Dei, ut solvat opera Diaboli 1. Joh. 3.

Ne etiam imperativo convenit, ut:

Tu ne cede malis, Virg.

CAPUT IV.

DE RECTIONE IN GENERE.

Derivata sequuntur rectionem sui primitivi. Vnde sequentes Canones.

REGVLA I.

Participia, Gerundia & Supina imitantur verborum suorum constructionem.

Par-

Participia, ut: *Pectora nostra duas non admittentia curas. Iuvenal.*

Gerundia, ut: *Homines nihil agendo male agere discunt. Senec. Servandum est brevitati. Cic.*

Supina, ut: *Legati ab Româ venere, questum injurias, & res repetitum. Liv.*

REGVLA II.

Adverbia derivativa pleraq; primitivorum constructionem sequuntur, ut:

Vivere convenienter naturæ, Cic. Et studio mores convenienter eunt. Ovid.

REGVLA III.

Sic comparativi & superlativi gradus adverbia, nominum suorum constructionem imitantur, ut:

Pulcherrimè omnium, Fabius. Celeritè opinione. Cic. Lynces clarissimè omnium quadrupedum cernunt. Plin. Expeditius cæteris loquitur, Fab.

Rectio est quinque generum: 1. Simplex seu perpetua. 2. Promiscua. 3. Geminata. 4. Subintellecta. 5. Infinitivorum.

CAPUT V.

DE RECTIONE SIMPLICI

Seu perpetua.

RECTIO NOMINATIVI.

REGVLA I.

Verba substantiva præcedunt & sequuntur Nominativi, ut:

Vnum est Regi inexpugnabile munimentum amor patriæ. Seneca. Senectus ipsa est morbus. Cic. Ira est furor brevis. Horat.

Appen-

Appendix.

Huc pertinent & illa, in quibus infinitivus aut tota oratio infinitiva pro nominativo ponitur, ut:

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima, stultitiâ caruisse. Horat.

REGVLA II.

Etiam nuncupandi verba passiva, & quæ similem vim habent, utrinque Nominativum adsciscunt, ut:

Themistocles cùm in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Cic. Plerumq; canes qui vehementius latrant, & hostes qui multum hostilitatis denunciant habentur viliores. Warsovic.

Nuncupandi verba sunt, Nominor, Dicor, Vocor, Nuncupor, Apellor, Inscribor, Salutor, Habeor, Videor, Feror, & exhibeor. Sic Audio (pro laudor,) Græco more, Licem, Evado, Appareo.

REGVLA III.

Cætera quoque verba sequitur aliquando Nominativus, qui statum aut gestum aliquem rei significet, ut:

Dormit securus. Bibit jejunos. It cubitum in cenatis. Nemo ferè saltat sobrius, nisi forte insanit, Cic.

RECTIO GENITIVI.

REGVLA IV.

Substantivum cum substantivo rei diversæ, genitivo casu jungitur, ut:

Mors ultima linea rerum. Consuetudo sine veritate est vetustas erroris. Cyprian. Omnium rerum vicissitudo. Terent.

Appendix.

1. Eadem ratio & pronominum primitivorum

vorum est, quando absolute pro substantivis usurpantur, ut:

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Val. Max. Amore tui, illius odio, Cic.

2. Sic Adjectiva neutro genere, pro substantivis posita, substantivorum more genitivos adsciscunt, ut:

Quantum quisque suorum nummorum possidet arca, Tantum habet fidei. Juven. Dimidium facti qui bene cepit habet. Vbi plurimum calliditatis, ibi minimum felicitatis. Warsevici.

Sic & Pronomina: Aliquid monstri haec alunt. Tevent. Id temporis. Id aetatis, Idem consilii, Istuc negotii, Eodem loci. Cic.

3. Sic Instar genitivum etiam regit, ut:

Terra ad universi caeli complexum quasi puncti instar obtinet. Cic.

REGVLA V.

Quae partitionem significant aut collectionem, genitivos plurales adsciscunt, qui exponuntur per E, Ex, vel Inter, ut:

Nemo mortalium omnibus horis sapit. Plin. (id est, e mortalibus.) Nemo omnium tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio, Cic.

Partitiva & collectiva sunt: Alter, Alius, Solus, Nullus, Nemo; Plerique, Quis, Qui, Uter, Quotus, cum compositis.

Appendix.

Sic Comparativi & Superlativi partitive accepti, genitivos plurales, vel collectivi nominis singulares, ut:

D

Belga

Belga Gallorum omnium fortissimi. Cas. Major juvenum. Horat.

Observatio.

I. *Ac Comparativo utimur, cum partitio fit inter duo: Superlativo, cum inter plura, ut:*

Manuum agilior est dextra. Digitorum longissimus est medius.

REGVLA VI.

Adjectiva quæ curam, desiderium, notitiam, crimen, aut metum aliquem, aut contrà significant, genitivos, adsciscunt.

Curæ, Metus, & contrà.

Anxius gloriæ alterius, Liv. Et ruit in vetitum damni securalibido. Claud.

Desiderii, & contrà.

Natura hominum novitatis avida. Plin. Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum, Tempus & assuetæ ponere in arte juvat. Ovid.

Notitiæ, & contrà.

Conscia mens recti famæ mendaciæ videt. Ovid. Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ. Virg.

Criminis, & contrà.

Integer vitæ, scelerisq; purus. Horat. Reus furti. Cicero.

Appendix.

I. *Sapè etiam adjectiva ista capiunt gerundium genitivi casus, vel verbum infinitum, ut:*

Studiosus dicendi. Cic. Certus eundi. Virg. cupidus videnti. Terent.

REGVLA VII.

Genitivos adsciscunt & verbalia pleraq; & participalia, (id est, participia, cum in nomina degenerant,) ut:

Tem-

De Rectione Simpl seu perpetua. 51

Tempus edax rerum. Ovid. Est vitiorum fugax. Seneca.
Patiens media. Sallust.

REGVLA VIII.

Adverbiis loci & temporis, genitivi familiariter adduntur: ut,

Nusquam gentium. Ter. Vbicunq; terrarum. Cicer. Longè gentium, id. Interea loci. Terent. Eò discordia, huc dementia, tum temporis.

RECTIO DATIVI.

REGVLA IX.

Dativos adsciscunt, quæ commodum, facilitatem, similitudinem, amicitiam, affinitatem, aut contrà significant.

Commodum ut: Non bonus est somnus homini à prandio. Plaut.

Facilitatem: Quod verum simplexq; est, id est naturæ hominis aptissimum. Cic.

Similitudinem: Vita hominis similis est ferro. Sallust.

Amicitiam: Calx frumento est inimicissima. Plin.

Affinitatem: Flamma fumo proxima. Plaut.

EXCEPTIONES.

Exceptio I. Præter Dativum etiam Genitivo construuntur sequentia versibus comprehensa:

Æqualis, proprius, similis, par, finitimusque,
Sic etiam affinis, germanus, itemque propinquus.
Vicinus, socius, fidus, cognatus, amicus,
Et derivata, & quæ componuntur ab illis.

Exceptio II. Communis, præter dativum regit genitivum & ablativum accedente præpositione Cum, ut:

Commune animantium omnium est. Cicer. Civitas communis Deorum atq; hominum. Cic. Cum patrono Epicureo mihi omnia communia sunt. Idem. Hoc mihi est

commune cum cæteris. *Idem. Athenæ nihil habent commune cum Hierosolymis. Hieron.*

REGVLA X.

Quodlibet verbum admittit dativum personæ aut rei, cui qualicunq; modo aliquid acquiritur vel adimitur: ut,

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. Iuvenal.
Mihi istic nec feritur nec metitur. Plant. Parentibus & præceptoribus non potest reddi æquivalens. *Arist.*

REGVLA XI.

Interjectio VÆ soli dativo tribuitur, ut:
Væ mihi misero. Terent.

RECTIO ACCVSATIVI.

REGVLA XII.

Activa verba accusativos adsciscunt, ut:

Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent. Cic.

Observationes.

I. Adsciscunt & Neutra quædam accusativos, sed cognatæ significationis, ut:

Dormit somnum Epimenidæum. Prov. Discite justitiam moniti, & non temnere divos. *Virg.*

II. Ita & Deponentia activæ significationis accusativum regunt, ut:

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet. Cic. Crescentem sequitur cura pecuniam. *Horat.*

III. Observandum in primis, non omnium accusativos promiscuè omnibus activis subijci posse, sed habendam esse rationem $\phi\epsilon\gamma\sigma\epsilon\omega\varsigma$, ut:

Facio verba, rectum est: Habeo verba, non rectum.
Contra: Habeo orationem rectè dicitur: Facio orationem, rectè non dicitur.

R E.

REGVLA XIII.

Accusativus proprius casus est infinitivo-
rum, quos præcedit perinde ut nominativus
verbum finitum, ut:

*Metiri se quæq; suo modulo ac pede verum est. Horat.
Flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere tibi te non
posse auxiliari. Terent.*

REGVLA XIV.

Casus sequens infinitivum Esse, & quæ si-
milis constructionis sunt, rectè convenit cum
casu præcedente, ut:

*Exeat aula qui volet esse pius. Lutan. Nobis non licet
esse tam disertis. Mart. Sit piger ad poenas princeps, ad præ-
mia velox, Qui que dolet, quoties cogitur esse ferox. Ovid.*

REGVLA XV.

Præpositiones accusativum regunt trigin-
ta, his versibus inclusæ.

Ad, penes, adversus, cis, citra, circiter, extra,
Erga, apud, ante, secus, trans, supra, versus, & intra,
Ultra, post, præter, propter, prope, pone, secundum,
Per, circum, circa, contra, juxta, inter, ob, infra,
Et procul ambiguū, quod casum admittit utrunq;
ut: *Sera nunquam est ad bonos mores via. Sen. Qui bibit
ingrato fœdatum sulphure Bacchum. Preparat ad Stygii se
Phlegethontis aquas. Pietas est justitia adversus Deum,
Cicero.*

REGVLA XVI.

Construuntur & cum accusativo compo-
sita quædam vi præpositionis, qua componun-
tur, ut:

*Prætervecti sumus scopulos. Virg. Trajecit copias Rhe-
num, Cas.*

REGVLA XVII.

Eheu cum accusativo ferè invenitur.

D 3

Eheu

Eius conditionem huius temporis. Cic. Aliàs absolute usurpatur.

RECTIO VOCATIVI.

REGVLA XVIII.

Adverbia vocandi cum vocativo junguntur, ut:

O Melibæe, Deus nobis hac ocia fecit. Virg.

REGVLA XIX.

Interjectiones Vah & Ohe recipiunt vocativum, ut:

Vah homo impudens. Plaut. Ohe jam satis est, ohe libelle. Mart.

RECTIO ABLATIVI.

REGVLA XX.

Comparativi comparative accepti adsciscunt Ablativum, qui exponitur per Quàm, Ac vel Atq; , ut:

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum, Horat. Amicior mihi nullus vivit atque is. Plaut.

REGVLA XXI.

Dignus & Indignus simpliciter ablativos adsciscunt, ut:

Dignum laude virum Musa vetat mori. Horat. Quod opera in rebus cognitione dignis ponitur, id jure laudatur. Cic. Hominis præstantiâ indigna est voluptas. Cic.

Observatio.

Sic participia adjectiva, Fretus, Confectus, ablativos tantùm recipiunt, ut:

Confectus senio. Fretus clementia Principis,

REGVLA XXII.

Ablativos adsciscunt & hæc deponentia: Utor: Fruor, Fungor, Potior, & Vescor, ut:

Mente

De Rectione simplici seu perpetua. 55

Mente rectè uti non possumus, multo cibo & potu com-
pleti. Cic. *Posse Deo pro patre frui summa una bonorum est.*

2. His adde, Abutor, Nitor, Dignor, Dedi-
gnor, Vivo, Victito, Gaudeo, &c,

Virtute decet non sanguine niti. Claud. *Gaudet pati-
entia duris. Lucan. &c.*

REGVLA XXIII.

Hæc adverbia Antè, Secùs, Pòst, Aliter,
postponuntur sæpe ablativis, ut:

*Multo pòst tempore venit. Paucis antè diebus. Paulo ali-
ter. Paulo secus.*

REGVLA XXIV.

Præpositiones quæ ablativum regunt, sunt
13. A, AB, Abs, Absq; Cum, Coram, De, E, Ex,
Pro, Præ, Palam, Sine.

Observationes.

I. Præpositiones, A, Ab, Abs, activè & cau-
sam efficientem: E & Ex materiam. De, passivè
& objectum vel privationem denotant.

II. Passivorum proprius casus est, ablati-
vus cum præpositione A, vel, Ab, ut:

Laudatur ab his, culpatur ab illis. Horat.

Appendix. I. Idem de Neutro passivis, &
Neutris αὐτοπαθητικοῖς judicium est, ut:

*Anima qua in pulmones ducitur, calcescit ab ipso spiri-
tu. Cic. Fabricius respondet, se à cive spoliari malle, quàm ab
hoste venire, id est, venundari. Quintil.*

III. Numeralia quæ ordinis vocantur ab-
lativum adsciscunt, sed cum præpositione à
vel ab, ut:

Proximus à Jove, Secundus à rege.

D 4

IV. Præ

olutè

gun-

oca-

libel-

scif-

n, Ac

at. Ae

ivos

Quod

datur.

tus,

ntia:

t:

ente

IV. Præpositio A' & E' consonantibus tantum: Abs, literis q, r, t: Ab vocalibus, itemque j, l, r: Ex, quibusvis literis indifferenter præponuntur, ut *abs quivis, abs re, abs te, Ab Iove, Ab Latinis, Ab radice.*

CAPUT VI.

DE RECTIONE PROMISCUA.

REGULA I.

Quæ copiam aut inopiam significant, Verba & Nomina, modò genitivum, modò ablativum recipiunt, ut:

Dives pecoris. Virg. Dives agris, dives positus in fœnore nummi. Horat. Eget aris, Idem. Malo virum qui pecuniâ egeat; quam pecuniam qua viro. Cic.

4. Adverbia copiae & inopiae tantum genitivum regunt, ut:

Satis eloquentia, sapientia parum. Salust. Potentia & gloria abunde. Suet. Neq; multò secus in his virum, Tacit. pro minus virum.

REGULA II.

Genitivum vel Ablativum recipit substantivum partis aut proprietatis, cum adjectivo laudis & vituperii, ut:

1. Puer bonæ indolis.

2. Puer bonæ indole.

3. Puer bonus indole.

Observatio I. Huc referri possunt & illa quæ ablativo tantum dicuntur: Genere Andrius, natione Syrus, &c.

Observatio II. Substantivo item verbo subiectivus

cimus

cimus genitivum vel ablativum, cum formam aut qualitatem alicujus describimus.

Fallit enim vitium specie virtutis, et umbra. Cum sit tristis habitu, vultuque & veste severum. Juven. Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet poenitet. Terent. Sic amplissimi corporis, cervice valida. Colum. Cicero erat tenuissima valetudine. Cas.

Observatio III. Sæpè ablativo additur præpositio:

Magna in mœstitia sum. Ess. in eadem sententia, opinione, voluntate, infamia, ap. d Cic.

REGVLA III.

Varia est constructio vocis Opus: sed ablativum sæpiùs adsciscit, ut:

Vbi verum testimonia adsunt, non opus est verbis, Cic. Vno vendibili non opus est suspensâ hederâ. Prov.

REGVLA IV.

Verba memoriæ & oblivionis promiscuè genitivum adsciscunt vel accusativum, ut:

Ipsè jubet mortis te meminisse Deos. Mart. Deos dilectis suis iter asperum facit, ne, dum delectantur in via, obliviscantur eorum, quæ sunt in patria, Aug. Otia delectent, admonent que mei. Ovid.

REGVLA V.

Verba accusandi, damnandi, absolvendi, genitivum adsciscunt, aut ablativum, ut:

Invenimus uxorem Ignatii, cum vino m. b. bisset à dolio, fuisse interfectam à marito, eum q. cædis absolutum à Romulo. Liv. Furti se astringit. Plaut. Furti se alligat. Terent. condemnare capitis. Cic. Condemnare capite. Suet.

REGVLA VI.

Æstimandi quoque verba adsciscunt genitivum, vel ablativum pleraq; sed genitivum frequentius, ut:

D 5

Plus

Pluris est testis oculatus unus, quàm auriti decem. *Plaut.*
Conscientia mihi pluris est, quàm hominis sermo. Cic. Respicio vos nihili meam gratiam facere. Plaut.

REGVLA VII.

Verba affectuum, quę curam aut perturbationem animi significant, promiscuè genitivos & ablativos recipiunt, ut:

Discrucior animi, Terent. & discrucior animo. Animi sese angebat, Ter. Angor animo. Cicer. Pendeo animi. Cicer. Et pendeo animo. Idem.

REGVLA VIII.

Præpositio quoq; omissa vel per compositionem addita, facit interdum, ut verbis casus rectè addatur, (vel si mavis ita.)

Verba cum Præpositionibus composita sæpe retinent casum Præpositionis, vel ipsam etiam præpositionem reperiunt.) ut:

Exire domo, Cic. Exire ex arumnis & miseris, Id. Abire magistratu, Id. A beo ab illis, Plaut. Accesserat oras, Virg. Accedo ad pedisequas. Terent.

REGVLA IX.

Verba quę prohibendi significationem habent, item auferendi, abstinendi, aut distandi; Ablativos adsciscunt, sed aliàs cum præpositione, aliàs sine præpositione, ut: *Arceo, prohibeo, abstineo, cedo, exulo, absun.*

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. Virg. Instabiles animes ludo prohibebis inani. Idem. Est virtus placitis abstinuisse bonis. Ovid. A trepido vix abstinet ira magistro. Luc. Cedere de dignitate fortuna, & cedere via, templis. Cic.

REGVLA X.

Pridie & Postridie genitivo vel accusativo junguntur, ut: Pri-

Pridie ejus diei, Cic. Pridie compitalia. Idem. Pridie Nonas, Calendas. Idem.

REGVLA VI.

En & Ecce aliâs nominativum, aliâs accusativum adsciscunt, ut:

En dextra fidesq; Virg. En quatuor aras. Idem.

REGVLA XII.

Quatuor hæ præpositiones, In, Sub, Super, Subter, accusativo serviunt, cùm motum significant; ablativo, cùm quietem.

Iesus latitans est in corde, in mente voluptas. Iesus in ore mel est, Iesus in ore melos, &c. Bernhard. Sapè sub sordido palliolo latet sapientia. Cic.

Sic procul & Clam, modò accusativum modò ablativum regunt, ut:

Procul muros, Liv. Procul muro, Id. Procul dubio, Sueton. Clam uxorem, clam viro, Plaut.

Tenus (quod semper postponitur) regit Ablativum: Et si nomen est plurale tantùm, aut si res geminæ significantur, Genitivum pluralem: ut,

Colla tenus, Ovid. Titulo tenus, Suet. crurum tenus, Virg. Cumarum tenus. Cic.

REGVLA XIII.

Interjectio ô recipit nominativum, accusativum & vocativum, ut:

O vir fortis atq; amicus. Terent. ô me perditum. Cic. ô Davo, Terent.

REGVLA XIV.

Proh & Ah modò accusativum, modò vocativum recipiunt, ut:

Proh Deum atq; hominum fidem, Ter. Proh summe Iupiter. Plaut. Ah me miserum. Terent. Ah Corydon. Virg.

Regula

REGVLA XV.

Hem & Heu, dativum, accusativum & vocativum regunt.

Hem tibi, Terent. Hem astutias, Idem. Hem Pamphile. Idem. Heu misero mihi, Plaut. Heu me miserum, Cicer. Heu pietas, heu prisca fides, Virg.

REGVLA XVI.

Hei sæpius dativum, interdum etiam vocativum exigit.

Hei misero mihi, Terent. Hei Megadore, Plaut.

APPENDIX.

I. Quædam verba cum præpositionibus Ante & Præ composita, modò dativum, modò accusativum, recipiunt, eadem significatione, addito ablativo rei excedentis, ut: *Ante eo, antecedo, antecello, anteverto; Præ eo, præcedo, præcurro, præverto vel prævertor, præsto.*

CAPUT VII.

DE RECTIONE GEMINATA.

REGVLA I.

Verbo Est habendi significatione, post nominativum cum dativo utimur, ut:

Est mihi namq; domi pater, est in iussa no verca, Virg. Tecum habita; S noris, quàm sit tibi curta suppellex, Pers.

REGVLA II.

Quibusdam verbis gemini dativi adduntur, quorum alter personam, alter commodum aut incommodum significant, ut:

Quod aliis vitio vertis, id tu tibi ne laudi duxeris Varro. Magno malo est hominibus avaritia, Cic. Sunt exitio Rebus publ. intestina dissensiones. Idem.

Ob-

Observ. Talia sunt: Sum, (id est, adfero) duco, do, verro, tribuo, habeo.

REGVLA III.

Verba dandi, addendi, reddendi, promittendi, admittendi, auferendi, nunciandi, præter dativum etiam accusativum frequenter adsciscunt, ut:

Dare alicui verba, referre alicui gratiam: condicere alicui diem, committere alicui negotium. Eripere telum non dari irato decet, Publ. Dies adimit ægritudinem hominibus. Cic.

REGVLA IV.

Certa quædam activa, rogandi, monendi, docendi, nuncupandi, faciendi; duos accusativos adsciscunt, unum personæ, alterum rei.

Comprehenduntur his versiculis:

Flagito, posco, peto, precor, obsecro, postulo, & oro,

Exoroq̄, interrogo, percontorq̄, rogoq̄,

Exigo, & erudio, doceo, moneo, admoneoq̄.

Hortor, & appello, voco, pradico, nuncupo, dico,

Nomino, & efficio, facio, do, consulo, reddo,

Et celo, præsto, puto, censeo, judico, duco.

ut: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Virg.

REGVLA V.

Mercandi quoque verba, & quæ ejus generis sunt, præter accusativum rei, ablativum precii adsciscunt, ut:

Ego spem precio non emo, Terent.

Observ. Verba mercandi sunt: Emo, liceor, liceo, licitor, constat, addico, comparo, loco, conduco, redimo, vendo, venundo, valeo, &c.

Exceptio I. Excipiuntur: Quanti, Tanti, Pluris, Minoris; quæ genitivo casu cum verbis emendi ponuntur, ut: Magis

Magis illa iuvant, quae pluris emuntur. Juven.

REGVLA VI.

Pathetica impersonalia praecedunt accusativi, sequuntur genitivi vel infinitivi.

Pathetica sunt: *Poenitet, Piget, Pudet, Tedet, Misereet*, cum derivatis & compositis, ut:

Nihil faciendum est, cuius nos poenitere possit. Cicer. Sunt homines, quos libidinis suae neque pudeat neque tædeat. Cicer.

REGVLA VII.

Est, Interest, & Refert, personam genitivi designant, à se autem infinitivum recipiunt, vel conjunctivum cum particulis, *Ut, An, Ne, & similibus*: item Relativo *Qui, quæ, quod*, ut:

Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Suet.

Refert omnium animadverti in malos. Reipubl. interest conservari literas. Cic.

Exceptio. Pronomina possessiva cum verbis *Interest & Refert*, ablativo casu genere foeminino, cum verbo *Est* genere neutro casu nominativo junguntur, ut:

Tua quod nihil refert percontari desinas. Terent. Tuum est, si quid prater spem evenit, mihi ignoscere. Idem.

Observatio I. *Interest & Refert* admittunt genitivos precii & estimationis, *Tanti, Quanti, Magni, Parvi*. Aliàs sepius additur: *multum, plus, plurimum, magis, minus, parum, nihil, aliquid*.

Plurimum refert compositionis quae quibus anteponas. Quintil.

REGVLA VIII.

Quatuor his verbis: *Decet, Delectat, Juvat,*

vat, Oportet, accusativi personam addunt, sequentibus mox infinitivis, ut:

Omnes homines summa ope decet niti, ne vitam silentio transigant velut pecora. Sallust. Mendacem oportet esse memorem. Proverb. Plus oportet scire servos quam loqui. Plaut.

Eodem modo Decet, Latet, Præterit, Fugit, Fallit: accusativum regunt, ut,

Oratorem simulare non dedecet. Cic.

REGVLA IX.

Multa quoque geminum casum adsciscunt vi rectionis promiscuæ aut subintellectæ, quando diversæ regulæ Syntaxeos, concurrunt, ut:

Lepore & humanitate omnibus præstitit Socrates, Cicero. Trajecit copias Iberum, Liv. Orabant, ut exercitum transportaret Rhenum, Cas.

CAPUT VIII.

DE RECTIONE SUBINTELLECTA.

REGVLA I.

I. Quæ mensuram aut spatium significant, accusativo frequenter, interdum etiam ablativo junguntur, cum adjectivis quantitatem significantibus:

Cum accusativo, ut: Caulis palmum altus. Plin. Cum essem ab Amano iter unius diei. Cicero. Cum tridui viam processisset. Casar.

A vestra conscientia transversum unguem non oportet discedere. Cic.

Cum ablativo, ut: Nec longis inter se passibus absunt.

Virg.

64 Lib. II. De Syntaxi Cap. VIII.

Virgil. Septem horis dormire sat est juveniq; seniq;. Giessæ abest Francofurti sex miliaribus.

REGVLA II.

Accusativus frequentior est iis, quæ durationem seu tempus continuum significant, ut:

Noctes atq; dies patet *atri janua Ditis*. Virgil. Nestor vixit tres hominum ætates.

Observatio.

Nomina temporis accusativo casu ponenda sunt, quoties interrogatio fieri potest per *Quamdiu*, *Quampri-*
dem, vel *Quamdudum*?

Quamdiu decubuit? Sex menses, &c.

REGVLA III.

Ablativo nomina temporis efferuntur, cum speciem magis quàm durationem significamus, ut:

Puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur. Liv. Vere quidem primo radix virtutis amara est. Et fructus dulces messe sequente parit. Isocrates interprete Frischlino.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator. Tibul.

Observatio. Nomina temporis ablativo casu ponuntur, quoties interrogatio fieri potest per *Quando*, ut:

Quando Christus mortuus est? feria sexta.

REGVLA IV.

Duo ablativi consequentiam designantes absolute junguntur, sed alter nominis, alter participii, ut:

Oppressa libertate patria nihil est quod amplius speremus. Deo dante nihil valet invidia. Deo non dante nihil valet labor. Nazianzen.

REGVLA V.

REGVLA V.

Ablativo casu efferuntur, quæ causam, instrumentum, materiam, aut modum actionis significant.

Causam, ut:

Oderunt peccare boni virtutis amore. Ovid.

Instrumentum, ut:

Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret. Hor.

Fertilis assiduo si non renovatur aratro

Nil nisi cum spinis gramen habebit ager. Ovid.

Materiam, ut:

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Modum & determinationem quamcunque, ut:

Non facile est aqua commoda mente pati. Ovid.

Magis virtute quàm dolis contendere docet. Cæs.

REGVLA VI.

Urbium propria primæ vel secundæ declinationis in loco esse significantia, genitivo casu singulari: Tertiæ autem declinationis, & Pluralia tantùm; ablativo junguntur, ut:

Tarenti degit Archyta qui ligneam columbam volatilem fecit. Gell. Augustæ exhibita est fidei confessio nostra, Taubman. David regnabat Hierosolymis.

OBSERVATIO. Nomina oppidorum in genitivo & ablativo ponuntur, quoties interrogatio fieri potest per ubi, ut: Vbi docuit Paulus? Romæ, Corinthi.

REGVLA VII.

Nomina urbis motum ad locum significantia accusativo casu reguntur, cujuscunque

E que

que numeri aut declinationis ipsa fuerint, ut:
Noctas Athenas proficisco Romam.

OBSERV. Nomina ad locum accusativo ponenda sunt, quoties interrogatio fieri potest per *Quò, ut, Quò tendis? Witebergam.*

REGVLA VIII.

Nomina oppidorum de loco, & per locum significantia ablativo reguntur.

Carthagine rediit Scipio. Româ profectus est cum exercitu. Livius.

Observ. Nomina de loco & per locum ablativo ponenda, quoties interrogatio fieri potest per *Vnde, vel Quâ, ut: Unde venis? Marpurgo. Quâ transibis? Mileto.*

REGVLA IX.

Propria civitatum imitantur & hæc appellativa, *Domus, Rus, Humus, Militia, Bellum.* Dicimus enim, *Sum domi, eo domum, venio domo, & additis sex adjectivis, meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ, & alienæ domi, ut:*

Malo esse cum timore domi meæ, quàm cum periculo domi alienæ. Cicer. Baldus rectè à porta domum meam venit. Idem.

Item cum genitivo possessoris, ut: *Clodius deprehensus domi Cæsaris. Cic.*

CAPUT IX.

DE RECTIONE INFINITORUM.

REGVLA I.

I. Infinitivi adduntur verbis significantibus

bus qualemcunq̄ue voluntatem aut sensum,
aut facultatem.

Vel precedens regula ita enuntiatur: Duorum verbo-
rum absque conjunctione concurrentium alterum poni-
tur in infinitivo, ut:

Voluntatem, ut:

Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori
eupio. August. Omnia prius consilio experiri, quàm armis
contendere sapientem decet. Terent.

Sensum:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Cato
vel Auson.

Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & red-
dere nescit, Plant.

Facultatem:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas. Virg.

OBSERVATIONES.

I. Exponitur infinitivus cum verbis voluntatem aut
facultatem significantibus τελευτῶς seu finaliter, hoc est,
per particulam Vt:

Cupio te videre, (id est, ut videam te.) Doceo te ca-
nere, (id est, ut canas.)

In verbis autem sensum significantibus exponitur
ειδικῶς, hoc est, per particulam Quòd, ut:

Memini me dicere, (hoc est, quòd dicebam.) Gau-
deō te adesse, (id est, quòd ad sis.)

II. Diligenter notandum est discrimen inter Vt &
Quòd.

Vt imur particula Vt 1. post voces, tam, tan-
tus, tam multa, tam magna, talis, tot, adeò,
ideò, ita, sic, & equipollentes: 2. post verba ro-

68 *Lib. II. De Syntaxi Cap. VIII.*

gandi, petendi, & jubendi, sive ea explicitè, sive implicitè ponantur: Item post verba: efficio, facio, fio, volo, curo, laboro, timeo, metuo, vereor, & similia. 3. quando causam finalem significare volumus, ut:

Tam magna est sanctorum merces, ut non possit mensurari, tam multa, ut non possit numerari, tam copiosa, ut non possit aestimari. Bernhard.

Iussit, imperavit pater, ut ad se venirem. Fac, cura, labora ut valeas.

Crucem quare, crucem gere, Christi crucem intueri, ut amore langueas. Bonavent.

Aliàs Quòd usurpandum est.

IV. Vulgò discrimen inter Ut & Quòd ita concipi solet: Si infinitivus commodè in vernacula nostra exponi possit per voculas, *auff* *daß* / particula Ut: sin minùs, particula Quòd adhibenda est.

REGVLA II.

Genitivi casus gerundia sequuntur nomina facultatem aut voluntatem significantia, ut:

Emergendi occasio, ignoscendi locus, discendi gratià. Magna est illecebra peccandi impunitatis spes. Cic.

REGVLA III.

Accusativi casus gerundia cum præpositione annectuntur verbis, ut:

Mitto illum ad speculandum artem. Inter agendum occurfare capro, cornu ferit ille, caveto. Virg.

REGVLA IV.

In Do Gerundia sequuntur verbum vel cum præpositione, A, Ab, De, In; E, Ex, Cum, Pro: vel sine præpositione.

Cum

Cum præpositione, ut: *Cæsar sanos homines à scribendo deterrunt, Cicero. In iudicando criminosa est celeritas, Pub. Mim.*

Sine præpositione, ut: *Omnia conando docilis solertia vincit. Manil.*

REGVLA V.

Supina priora casum verbi sui adsciscunt, & cum verbis significantibus motum ad locum junguntur, ut:

Venio salutatum amicos. Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsa. Ovid. Quantum est cumq; hominum spectatum accurrite ludos, Quos vestrum nemo vidit, quos nemo videbit.

REGVLA VI.

Posteriora Supina construuntur, vel cum adjectivis facultatem aut modum aliquem significantibus: vel cum verbis significantibus motum de loco.

Cum adjectivis, ut: *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. Virg. Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur, vulgus amicitias utilitate probat. Ovid.*

Cum verbis, ut: *Obsonatu redeo. Paterfamilias posthemit cubitum eat, primus cubitu surgat. Colum.*

CAPUT XI.

DE DISTINCTIONE.

1. Haftenus de Syntaxi conjunctionis: sequitur Distinctio, qua voces conjunctæ discernuntur. Ea que potissimum Commatum, Colorum, Semicolorum, periodorum & parenthesisum notis perficitur,

1. COMMA sententiæ comprehensio, colo minor, octo vel nomen syllabas non excedens, & ad

E 3

imum

imum litera posita, semicirculo notatur sic, ut:
 Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum
 Domini recordabor. *August.* Nascimur in lectu, vivi-
 mus in labore, & tandem morimur in dolore. *Na-
 zianzen.*

2. COLON sive membrum est distinctio senten-
 tia perfectioris, alteri tamen conjungenda, ultra 20. syl-
 labas raro excurrens, & sic notata: ut:

In tremenda mortis hora veni Jhesu absque mora:
 Cum me jubes emigrare, Jhesu chare tunc appare.
Bernhard.

3. SEMICOLON est media quaedam distinctio
 inter Comma & Colon, quae sic notatur;

Et si Deus felicitatibus ter. ena amara iudices miscet, pro-
 ximusq; Deo sit plenissimo flagellu; ideo tamen hoc fit, abia
 ut queratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. *Augustin.*
Clemens Alexandrinus,

4. PERIODUS seu ambitus est sententia perfe-
 cta & prorsus absoluta distinctio, plura interdum cola in
 se comprehendens, notaturq; ejus initium majori litera,
 & finis puncto ad imum litera posito sic ut:

Ubi multum crucis, ibi est multum lucis & conso-
 lationis. *Bernhard.*

5. PARENTHESIS est sermonis interjectio,
 qua eidem interponitur aliquid proprie ad rem non per-
 tinens, & sic notatur () ut:

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
 Hunc lætum Tyriisq; diem, *Verg.*

DE ORDINE GRAMMATICO SIN- gularum vocum in periodo.

Denique Grammaticus ordo in quavis oratione talis
 est.

I. Con-

1. Constructionem orditur Adverbium vocandi, hortandi, Demonstrandi, Interrogandi, Prohibendi, similitudinis & vim relativam habentia donec, quando, postquam Conjunctio, Interjectio.

2. Vocativus, si adsit.

3. Verbum impersonale cum suo casu.

4. His deficientibus, Nominativus (aut quod vice Nominativi fungitur,) primum locum occupat.

5. Nominativo subjungitur vox illi cohærens: nempe Adjectivum, item Genitivus vel Ablativus.

6. Hinc Verbum personale finitum.

7. Inde Adverbia cætera.


8. Et casus, qui à verbis reguntur, ubi casuum ordo servandus.

9. Succedunt Infinitivi cum Accusativo à fronte.

10. Ablativi consequentiæ: Et prepositiones cum suis casibus, Gerundia, &c.

In genere notandum, quòd vox regens preponatur ei qua regitur, & declarata declaranti, Verbum Adverbio, Substantivum Adjectivo, Finitum Infinito.


Excipiuntur ab his regulis Interrogativa, Relativa, que precedunt ubi vis, ut: Cujus liber? Quem quæris?





PRIMÆ


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.
























ALV





Compendium
GRAMMATICÆ
LATINÆ,

A B

*IPSI GRAMMATICÆ AVTORI-
bus adornatum, & singulari studio in usum
Scholasticæ Iuventutis, ita di-
gestum,*

U T

NEC LIBRIS ALPHABETICIS,
NEC DONATI PARADIGMATIBUS,
amplius opus sit pueris, qui
eo utuntur.

Editio nova, emaculata.



GIESSÆ HASSORUM,
Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.

M DC XIII.

